VRBANAE DISPVTATIONES IN PRIMAM PROBLEMATVM ARISTOTELIS SECTIONEM

IOANNIS MANELFI
ERETANI SABINI

In almo Vrbis Gymnasio Primarij Philosophiæ professoris atq. totius Ecclesiasticæ ditionis Prothomedici Generalis.

Superior. permissu

ROMÆ
Apud Gulielmum Facciottum
M.DC.XXX.

EMINENTISSIMO PRINCIPI CARDINALI BARBERINO.

IOANNES MANELPHVS FELICITATEM.

TIBI solum hæ meę debentur disputationes, Cardinalis Eminentissime; nam earundem scriben-

✠ 2 da-

darum occasionem tu mihi etiam obtulisti. Cooptauit me in numerum Doctorum magni Gymnasij Vrbis VRBANVS PONTIFEX SANCTISSIMVS, & omnium sapientissimus: tu verò Patrui vestigia persecutus, maioribus stipendijs, alijsque suffragijs, & honoribus me cumulasti. Debentur insuper hæ tibi lucubrationes meæ alijs nominibus, quia nimirum libellum hunc excipies, aperies, euolues, perleges, & quidquid in eo vtilitatis lateat, inspicies, percipies: nam summa in te præfulget humanitas, omnium præterea scientiarum, atque virtutum es auidus amator, nostrique temporis Heros præclarus, illustris. Tibi igitur solùm tanquam Patrono meritissimo hoc opusculum dono dicoque. Et si quid ipsi felicita-

tis,

tis ex authoris imbecillo ingenio deerit, ab humanitatis tuæ efficaci beneficentia conciliabitur. Vale.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apost.

A.Episc.Bellicastr.Vicesg.

E*X commissione R.Patris Magistri Sacri Palatij Fratris Nicolai Riccardii, Ego infrascriptus vidi hunc librum, qui inscribitur, Vrbanæ Disputationes in primam Sectionem Problematum Aristotelis, Eruditissimi, & Doctissimi Ioannis Manelphi Eretani Sabini in almo Vrbis Gymnasio primarij Phylosophiæ Professoris, nec non totius status Ecclesiastici Protomedici Generalis, & in eo nihil inueni, quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ repugnet, nec quod sit contra bonos mores.*

Tiberius à Fonte Eugubinus Medicus Phisicus Romanus Collegiatus.

Imprimatur,
Fr.Nicolaus Riccardius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Mag.

VRBANÆ DISPVTATIONES IN PRIMAM PROBLEMATVM ARISTOTELIS SECTIONEM.

IOANNIS MANELPHI Eretani Sabini,

PROBLEMA I.

CVr exuperantiæ magnæ committendi morbi vim habeant? an quia, vel excessum, vel defectum efficiant: qua quidem re morbum consistere certum est?

DISPVTATIO I.

EXVPERANTIAS morborum causas esse certissima res est: patet enim experientia primum, deindè Hipp. 2. aph. 51. Multum, repentè euacuare siuè replere, calefacere, vel refrigerare, aut quouis alio modo corpus mouere periculosum, inquit, nam omne

nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit tutum est: quam eandem sententiam legimus in lib. de natura humana, libello de flatibus, secundo de victus ratione in morbis acutis, & alibi. Celsus etiam lib. 1. cap. 3. in principio, nequè ex nimio labore subitum otium, nequè ex nimio otio subitus labor sinè graui noxa est, inquit. Sed supposito hoc principio tanquam certissimo nempè exuperantias morborum causas esse, cur in præsenti problemate id accidat quærit Aristoteles, & an, inquit, quia excessum, vel defectum efficiunt, hoc autem est morbus? Morbi omnes, vult ratiocinari Aristoteles, consistunt in excessu, vel defectu, sed excessum, vel defectum exuperantiæ magnæ committunt, igitur hac ratione exuperantiæ magnæ committendi morbi vim habent. Quod autem morbi omnes in excessu, vel defectu consistant res est clarissima, & Galenus docuit lib. de constit. artis medicæ. cap. 12. 2. lib. aph. com. aph. 51. & alibi. Consistit enim, asserebat Galenus, naturæ substantia, hoc est sanitas, in elementorum commoderatione, quarè non absquè ratione nimium omne cum destruat commoderationem vnà substan-

stan-

tantiam animalis dissoluit. & 2. aph. dicto
ontext. 4. cum sanitas inquit commode-
atio quædam sit, necesse est omnes immo-
erantias, quæ plurimum à medio recesse-
unt iam egritudines esse. ante Gal. etiam
Iipp. 6. epid. sect. 6. labor asseruit, cibus,
otus, somnus, venus, omnia mediocria;
uoniam scilicet sanitas in rerum mediocri-
ıte consistit, sicuti morbus in earundem
nmediocritate, excessu scilicet, vel de-
ctu.

Sed sanitatem in rerum mediocritate
onsistere sicuti morbos in excessu, vel defe-
u dubitabit nunc aliquis: nam cerebrum est
igidum, & humidum, nempè excessum ha-
et frigiditatis, & humiditatis, cor calidum
t, & siccum, iecur calidum, & humidum,
sic de singulis. ergo sanitas nequaquam
onsistit in rerum mediocritate, vel modera-
one, at in excessu, vel defectu.

Respondetur, & primo sanitatem in rerum
ıoderatione consistere dici potest, eandem
nitatem vniuersaliter sumptam intelligen-
o: nimirum tota sanitas totius corporis à
ıediocritate, & symetria rerum fit; nam
metsi cor calidum sit, & siccum, nihilo-

minus dantur aliæ partes frigidæ,& humidę, vt cerebrum dictũ exempli gratia à quo caliditas cordis retunditur,& sic moderantia in qua sanitas consistit, deindè exoritur. Aut, & melius fortaßè affirmabimus,sanitas consistit in rerum commoderatione, quæ tamen commoderatio non tollitur ab omni excessu, vel defectu, at ab excessu nimio, vel nimio defectu; Cur enim exuperantiæ magnæ committendi morbi vim habent, quærit in præsenti Aristoteles, quoniam respondet excessum, vel defectum efficiunt, excessum autem magnum, vel magnum defectum ego dicerem, quia omne agens secundum suam potentiam agit, vel operationes edit. Excessus itàquè magni,vel magni defectus sunt causæ morborum non autem parui,quos cerebrum, cor, iecur, & aliæ huiusmodi partes habent: nam tantum abest, vt parui excessus,vel defectus sint causæ morborum, vt potius ijdem sint sanitas ipsa: sanitas enim nemini dubium est quod consistit in temperamento, & non in temperamento ad pondus, siquidem hoc non datur secundum medicos saltem permanenter (cum nulla adsit in viuente corporis pars,quę tale exigat pro

suis

uis operationibus temperamentum) sed in
emperamento ad iustitiam, quod quidem
emperamentum in excessu, & defectu con-
stit: nimirum prout ab operationibus par-
um exigitur, non in æquali mensura, at in
liquo excessu, vel defectu qualitatum consi-
it; vndè propterea ad iustitiam dicitur tem-
eramentum, quoniam dictarum partium
perationibus iustum est. Et sic cerebrum, vt
guebatur, quamquam frigidum, & humi-
um sit, atquè excessum habeat frigiditatis,
humiditatis, nihilominus quoniam exces-
s dictus non est magnus at paruus, & se-
ndum partium exigentiam, non quidem
ausa morbi est, at sanitas ipsa, & sanitas in
oc casu vtiquè consistit in rerum modera-
one, quoniam non paruus excessus, vt dice-
mus, at magnus est qui sanitatem tollere
test, vel destruere: ita etiam de corde,
core, & alijs dictis partibus affirmandum
t.

Cum autem sanitas consistat in rerum
mmoderatione, atquè morbi ab excessu,
l defectu proficiscantur, vt verissimum est,
m Hipp. in libello dicto de flatibus medi-
a asserebat est additio, vel detractio, ad-

ditio scilicet eorum, quæ deficiunt, detractio autem eorum quę supersunt, estò id inquam, vter istorum, defectus videlicet an verò excessus maiores, & plures efficiet morbos? Et quidem contrariorum eadem est ratio, & disciplina cum Aristotele in Logicis: sed sic est quod excessus, vel defectus sunt inter se contrarij, igitur non minores ab vno quam ab altero horum proficiscentur morbi. Hipp. etiam in lib. de veteri Medicina non minora ex repletione fiunt mala, docuit, quam ab inanitione: sed inanitio, vel repletio sunt excessus, & defectus: Ergò non minores exurgent quoque morbi ab excessu quàm à defectu. Vnde Theognis in suis elegiacis sententijs sic concinit.

Multo sane plures quam fames satietas perdidit.

Iam viros.

Et Horatius flaccus in 2. serm. satyra 2.

Aspice nunc tenuis victus, quæ quantaque secum afferat: In primis valeas bene.

Bonæque valetudinis quasi quædam mater erat frugalitas inimica luxuriosis epulis, & plena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato Veneris vsu auersa lib. 2. c. 1.

de

le Rom. Valerius Maximus aiebat. Sani-
atis studium non saturitas cibi, non refuge-
e labores, qui parum bibit, & parum co-
nedit nullus ex his morbus, vel alia similia
ipud Hipp. leguntur 6. Epid. com. 4. contex.
2. & alibi. Ex quibus omnibus non ex ina-
iitione, at repletione fieri mala colligitur,
& nihilominus, vt audiuistis, non minora
iunt ex repletione mala quam ex inanitio-
e cum Hipp. in lib. de Veteri Medicina.

Ex altera verò parte de excessu, vel defe-
tu particulariter inanitionis, & repletionis
Hipp. 6. aph. 39 conuulsio inquit, vel reple-
ione fit, vel inanitione: Aetius lib. 6. c. 18.
'aulus lib. 3. cap. 19. & alij, difficilius cura-
i asserunt conuulsionem, quæ ex inanitio-
e quam quæ ex repletione fit, & ita tenet
ommunis Medicorum schola. igitur inani-
o hic maioris mali causa est quam ipsa re-
letio.

Amplius idem Hipp. 1. aph. 5. in tenui
ictu, inquit, ægri delinquunt, quo fit vt
nagis lędantur, quicunquè enim error com-
nittitur maior in hoc fit, quam in paulò
leniori victu, propterea etiam sanis valdè
enuis, & exquisitus victus eo qui fit paulò

plenior magis periculoſus. cui opinioni ſe ſubſcribens Cornelius Celſus lib. 1. cap. 1. bis die potius quam ſemel cibum capere oportet, & ſemper, vt plurimum comedere, inquit, licet alijs verbis, dummodò illum concoquas.

Pro hac tamen quæſtione decernenda, primo ſciendum eſt, cum repletionem, vel inanitionem hic dixit Hipp. intellexiſſe de repletione alimentali nam πληρώσιος, ἢ κενώσιος ait, quæ verba propriè repletionem, vel inanitionem alimentalem ſignificant. Secundo aliud eſſe dicimus conſiderare inanitionem, & repletionem in abſtracto, vel in communi, & quatenus duo contraria hæc inter ſe ſunt: aliud verò conſiderare inanitionem, & repletionem non quidem in abſtracto, ſed in concreto, in ſubiecto particulari, & connotatiuè: nam communiter conſiderata duo dicta & in abſtracto vtiquè paria ſunt in efficiendis malis, vel bonis: ſi tamen conſiderentur in particulari ſubiecto, & connotatiuè non quidem paria at diſparia dicenda ſunt: & ſic conuulſio, vel repletione, vel inanitione fit cum Hipp. atquè conuulſio ex inanitione peior quidem eſt.

Ergo

Ergo inanitio maiora efficit mala quam re-
pletio,in particulari conceditur, in commu-
ni negatur:nam repletio licet fortiorem non
faciat conuulsionem, vt inanitio, facit ta-
men fortiorem febrem, vehementiores ca-
pitis dolores, vel ventriculi, & alia similia,
prout dispositiones adsunt. Ideò in com-
muni, vt asserebam, non minora, nequè
maiora fiunt ex repletione mala, quam ex
inanitione. in particulari verò interdum
maiores efficit morbos repletio, interdum
verò inanitio. Vel & fortasse melius respon-
debitur, non maiora fiunt ex repletione
mala, quam ex inanitione cum dixit Hipp. si
non intensiuè saltem numericè intellexit;
quot scilicet morbos numero facit repletio,
tot etiã inanitio,& sic è contrà:nam morbus
immoderantia rerum est, vt superius audi-
uistis, quæ nunc repletione, nunc verò ina-
nitione consistit. atque ita non minora fiunt
mala ex repletione, quam ex inanitione, vt
in conclusione ponebatur. Et per conse-
quens excessus non maiores efficit morbos,
quam defectus.

Sed excessus non modo alimentalis est, at
interdum qualitatis, interdum verò humo-
rum.

rum. An igitur idem de his etiam excessibus, vel defectibus asserendum sit? Idem sanè respondetur: tantum enim obest calor excedens quantum deficiens, tantum humor etiam excedens nocet quantum deficiens.

Sed neque numericè, nec ètiam intensiuè tot fieri morbos ab excessu quam à defectu, nunc denuò dicet aliquis: nam experientia constat nullum ferè curari à medicis morbum sine aliqua euacuatione, raro autem additione, atque id quidem nulla alia ratione accidit, nisi quoniam excessus maiores, vel plures efficiunt morbos, quam defectus.

Respondetur, & primo morbos, vt plurimum euacuatione tolli, vel curari dicimus quoniam plus peccant homines in excessu, quam defectu. Secundo dum humores putridi exempli gratia euacuantur non euacuantur, vt excedentes, at vt putridi sunt; excessus enim est illius, quod antea erat; putridi verò humores anteà non erant, ideo quamquam morbi, vt plurimum euacuatione tollantur, id accidit quoniam ijdem morbi, vt plurimum à corruptione humorum proficiscuntur, non quia excessus, vel defectus

ctus

ctus non sint in pari gradu in generatione morborum, dum enim considerantur morbi, vt quanti, vel vt quales, tot fiunt ab excessu, quot à defectu, sed defectus eorum intelligitur, quæ anteà erant, & sic optimè concludebatur superius non minores fiunt morbi à repletione, quam ex inanitione, non minores etiam à defectu, quam ab excessu.

PROBLEMA II.

CVr morbi sæpe curari poßunt vbi quis abundè excesit? equidèm non nulli Medici eam artem exercent, vt non nisi per excessum agant, vel vini, vel aquæ, vel salsuginis, vel cibi, vel inediæ. An quoniam causæ, quæ morbos committunt aduersæ inter se sunt? atq; ita efficitur, vt genus alterum duci per excessum alterius in medium posit.

DI-

DISPVTATIO II.

QVAMQVAM recta, & vera medendi methodus illa ſit, quam Aſclepiades nobis reliquit: nempè vt citò, tutò, ac iucundè agamus in morborum curationibus, nihilominus nonnulli erant antiquo tempore, qui per exceſſum medicinam faciebant, vel vini, vel aquæ, vel ſalſuginis, vel cibi, vel inediæ, vel aliorum ſimilium, vt inquit Ariſtoteles in præſenti problemate. Nam, vt legitur in Hipp. *6.* epid. com. *6.* contextu. 31. Prodicus, & Herodicus fame multa, circuitibus, curſibus, lucta, & alijs huiuſmodi fortioribus exercitationibus morborum curationes moliebantur. Petronas quidam referente Celſo lib. 3.cap.9.febricitantem hominē, vbi acceperat multis veſtimentis operiebat, vt ſimul calorem ingentem, ſitimq. excitaret, deindè vbi paulum remitti cæperat febris aquam frigidam potui dabat, ac ſi mouerat ſudorem plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, & tum vomere coge-

gebat. Si alterutro modo febre liberauerat protinus suillam carnem, & vinum homi-
ıi dabat; si non liberauerat decoquebat ıquam sale adiecto, eamquè bibere coge-
ɔat, vt vomendo ventrem purgaret; & in-
rà hæc omnia medicina eius erat. De his ıutem per excessum morborum curationi-
ɔus Gal. in lib. de optima secta ad Transi-
ɔulum sic loquebatur: Febricitantes adeò ıonnulli inedia macerabant, vt nè aquam
ıuidem concederent: nonnulli ab initio cre-
ıorem hordei propinabant, nonnulli sum-
ıoperè cauebant ne vnquam hordeaceo ictu laborans vteretur, Petronas autem, &
ıillas carnes assas exhibens, & vinum ni-
rum meracius ad vomitum compellebat,
ɛ frigidam ad laborantis arbitrium potui abat. Appollonius verò atque Dexippus
lipp. auditores, nec aquam propinabant edum vinum: præparauerant enim cya-
ıos quosdam cereos numero duodecim, vt ſent singuli heminæ sexta pars, vncia ni-
ıirum vna, & semis, ex his duos tresvè al-
rnatim ægrotantibus dabant.

Sed de his, vel alijs similibus quidquid sit ırationum generibus. Cur in præsenti pro-
ble-

blemate, sæpè morbi curari possunt, quærit Aristoteles, vbi quis abundè excessit? An quia inquit causæ, quæ morbos committunt aduersæ inter se sunt? atque ità efficitur, vt genus alterum duci per excessum alterius in medium possit? Septalius in commentario excessus inquit excessibus contrarijs tolluntur: quapropter cum sanitas in medio horum duorum excessuum consistat, vtiquè contrarijs ad inuicem repugnantibus, & actione per reactionem impedita, & qualitatibus contrarijs per contrarias remissis, moderationem tandem illam consequimur, quæ sanitas est: quam etiam rationem reddunt Apponensis, Guastauinus, & alij. Gal. in lib. de const. artis Medicæ cap. 12. cur enim inquit idquod excellenter sanum est, sit modo illud similare, aut instrumentarium, omni ex parte moderatum existat, ægrum verò immoderatum: siquidem morbus immoderatio quædam est. Aduertendum est in primis quænam ea sit illius immoderatio, quippè necessarium est aliam inueniri immoderationem huic contrariam, quod in lib. artis Medicæ legitur cap. 89.

Sed

Sed cum Aristoteles in præsenti proble-
nate quærit cur excessus interdum sint cau-
æ curationis morborum, Vtrum intelligat
e excessibus contrarijs, an verò similibus:
am Cornelius Celsus lib. superius dicto 3.
ap. 9. cum de cura lentarum febrium age-
at, sed non inutilis inquit quandoque con-
lij est nouare interdum, & augere mor-
um, & febres accendere: Febres autem non
er contrarios excessus, at similes accen-
untur, vndè etiam Hipp. in lib. de locis in
omine, antiqui morbi asserebat, difficilius
arantur, quàm recentes, verum antiquos
ecentes primum facere oportet; & alibi, vl-
era antiqua renouanda sunt interdum pro
orundem curatione peragenda: morbi ve-
ò antiqui recentes fiunt per similia, non au-
m contraria, sicuti vlcera antiqua per si-
iles excessus recentia fiunt: Vndè vtrum
e excessibus contrarijs, an verò similibus
c intelligat Aristoteles?

Quamquam propriè de contrarijs exces-
ous hic intelligat Aristoteles secundum
nnes Commentatores, nihilominus etiam
: similibus intelligi posse, ego dicerem,
m interdum, & vt plurimum per excessus

con-

contrarios curantur morbi, interdum verò etiam excessu similium: Vnde cur etiam dicit in problemate Aristoteles morbi sępe curari possunt, vbi quis abundè excessit? Curari possunt quidem vlcera antiqua cum abundè excesserunt, quoniam recentia facta melius admittunt præsidia quam antiqua: Sicuti morbi antiqui melius curari possunt cum recentes facti sunt, quoniam per excessus recentiores facti irritant naturam ad aliquam euacuationem, & sic de singulis: quamquam inquam de excessibus contrarijs hic locutus fuerit Aristoteles, nihilominus etiam excessus similium sunt in causa, vt morbi deinde curari possint. Sed vt dicebamus hæc methodus non Canonica est, neque ad mentem Asclepiadis, at periculosa, & temeraria. quos enim ratio non iuuat interdum temeritas sanat, legitur etiam in Cornelio Celso, at temerè rarò, vel nunquam procedendum in medicamentis, sed cum Hipp. ad hoc studeas, vt si non iuuas saltem non lædas, quia citò iucundè, ac tutò saltem medicina facienda est: vt superius audiuistis.

PRO-

PROBLEMA III.

CVr temporum ſtatuumque mutationes morbos intendant, tollantuè, iudicent, vel committant? an quia aut frigidæ, aut calidæ, aut humidæ, aut ſiccæ ſunt, morboſque qualitatum huiuſmodi exceſſus committit? Secunda etenim valetudo mediocritas quedam eſt, quod ſi per humidam frigidamuè materiam morbos conſtiterit tempus accedens contrarium tollere illam poterit. Sed ſi minus contrarium ſubſecutus ſit qui ſimilis ſtatus temporis ſubuenerit intendet ſanè, atque interimet: quo etiam fit vt qui bene valent ægrotare tempore mutato incipiant: corporis enim proinde temperamentum ſoluatur neceſſè eſt, quippe quod non niſi temporum, ætatum,

locorumque statu idoneo aptum sit augeri seruarique. Quamobrem cum tempora euariant, ratio valetudinis tunc habenda diligentius est. Idem autem illud pro causa particulatim etiam adest, quod in vniuersum proposui de temporibus: mutationes etenim flatuum, ætatum, atq; locorum pro temporis cuiusddam mutatione accipi debent. Quapropter hæc etiam intendēdi, vel tollendi, vel iudicandi, velcontrahendi morbum vim habent, quemadmodum tempora, & syderum ortus, Orionis, Arturi, Vergiliarum, Caniculæ, qui flatus imbresq; excitant, qui serenitates, frigora, teporesvè solent adferre.

DI-

DISPVTATIO III.

TEMPORVM mutationes, tam vniuersales, quàm particulares morbos facere res est clarissima, experientia enim id patet, & Hipp. 3. aph. 1. ıutationes temporum, inquit, potissimum ıorbos pariunt, & in quibusdam temporiıs magnæ mutationes, aut frigoris, aut caoris, & alia pro ratione eodem modo.| in b.etiam de aere aquis,& locis context. 10. 1. 12. maximè autem legitur obseruare portet magnas temporum mutationes, vt equè medicinas in illis libenter exhieamus, nequè vramus, quæ circa venem, nequè secemus priusquam prætereant ies decem, aut plures, & non paucios. Periculosissima sunt etiam ambò solitia, maximè verò æstiuum, periculosum iam æquinoctium vtrumque, magis verò ıtumnale, oportet autem, & astrorum ortus considerare, præcipuè Canis, deine Arcturi, & Pleiadum occasum : morbi im in his maximè diebus iudicantur, alijque

què perimunt, alij verò desinunt, aut in alıam speciem aliumque statum transmutantur, & circa hæc quidem sicut dixi se habet.

Sed suppositis his omnibus tanquam verissimis, cur in præsenti problemate Aristoteles temporum statuumq. mutationes morbos intendant, nunc quærit: circa quæ verba primò notandum est nomine mutationis hic intelligi mutationes anni vniuersales, nempè mutationes veris in æstatem, æstatis in autumnum, autumni in hyemem, hyemis verò in ver: quæ quidem mutationes habent quoque sua statuta tempora, & signis occidentibus, vel Orientibus fiunt. Nam vt legitur in Hipp. lib. 3. de dieta hyems à Pleiadum occasu incipit, & durat vsque ad æquinoctium vernum, quod etiam legitur apud Gal. lib. 3. aph. com. tex. 14. ab æquinoctio verò incipit ver, & durat vsq. ad pleiadũ exortũ, ab exortu pleiadũ incipit ęstas, & durat vsque ad exortum arturi, ab exortu arturi incipit autumnus, & durat vsque ad occasum pleiadum, quæ quidem pleiades vt optimè notauit Plinius lib. 2. cap. 49. nec non etiam Cardanus, qui recenter sydera obser-

obseruauit,in lib. de aere, aquis, & locis su-
per tex. 12. lectione 44. nunc temporis oc-
cidunt decimatertia die nouembris circiter,
& occasus terminatur vigesimatertia eius-
dem. Oriuntur verò eædem pleiades deci-
ma Maij cum Plin. licet Cardanus duodeci-
ma Iunij dicat, & durat ortus idem per dies
decem, & octo. Arturus cum eodem Car-
dano ibidem oritur decimanona Septem-
bris, & durat vsque ad decimamquartam
Octobris. Canis etiam exortus Iulij men-
sis vigesimatertia die accidit, atque finis
eiusdem vigesimasecunda Augusti est, & sic
de singulis. Ex quibus etiam omnibus col-
ligere licet à Medicis anni tempora
non ita diuidi quemadmodum ab Astro-
logis; nam Medici, vt audiuistis fa-
ciunt æstatem, & hyemem quatuor men-
sium, autumnum verò, & ver duorum, &
minus fortasse. Astrologi vero omnia tem-
pora æqualia numerant, & secundum signa
zodiaci annum diuidunt: nam ♈ ♉ ♊ fa-
ciunt Ver ♋ ♌ ♍ Aestatem ♎ ♏ ♐ Au-
tumnum ♑ ♒ ♓ apud eosdem hyemem
componunt: sed de hac anni diuisione quid-
quid sit, Mutationes temporum vniuersa-

 les

les morbos intendunt, tollunt, iudicant, vel committunt.

Secundum quod notandum accedit circà verba Aristotelis, est verbum flatuum, cur temporum flatuumque mutationes inquit, in problemate Aristoteles, nam non modò temporum mutationes vniuersales, verum & particulares, morbos intendunt, tollunt, iudicant, vel committunt, quæ quidem temporum mutationes particulares præcipuè à flatibus proficiscuntur: accedentibus enim, vel recedentibus ijsdem flatibus mutationes temporum particulares fiunt: Boreas enim siuè Septemtrio facit serenitatem in his nostris regionibus, Auster verò pluuias, & propterea Hipp. 3. aph. de temporibus, ait, si fuerit hyems sicca, & aquilonia, ver verò pluuiosum, & australe, aut hyems pluuiosa, & australis, ver verò siccum, & aquilonium, & sic de singulis, vt etiam in obseruationibus lib. Epid. flatuum, siuè ventorum semper meminit, à quibus variæ temporum constitutiones calidæ, frigidæ, humidæ, vel siccæ proficiscuntur.

Sed venti plures sunt, nunc dicet aliquis, nem-

nempè ab Oriente Subſolanus ſpirat, ab Occidente Fauonius, à Septemtrione, Septemtrio, à Meridie Auſter, & vnuſquiſque horum quatuor ventorum amplius habet duos ventos collaterales hinc indè coniunctos, nam Subſolanus à parte dextera habet Volturnũ, à Siniſtra Eurũ Auſtrum, Auſter dextera Eurum Auſtrum, à ſiniſtra Auſtro Africum. Fauonius à dextera Africum, à leua Corũ, Septẽtrio à dextera verſus occidẽtem Circium, à ſiniſtra Aquilonem: ita legitur in Alberto magno 3. metheor. tract. 1. cap. 23. Et Subſolanus ſubdit ibidem Albertus, quia ſub radijs Solis oritur, appellatur, Eurus ab Eoo ideſt Oriente dicitur: Volturnus eo quod altè tonat: Auſter quia aquas aurit; Euroauſter quia hic Eurum, hic Auſtrum habet; vt etiam Auſter africus. Fauonius quia fouet ea quæ terra naſcuntur. Africus quia frequenter in Africa initium accepit. Corus quaſi Circulus ventorum claudit. Septemtrio quia ab Vrſa venit vbi ſeptem ſtellæ ſunt, Circius quia Coro ſit iunctus. Aquilo quia aquas ligat, & claudit, dicitur, itque nubes diſpergit. Sed de ventis magis copiosè, qui plura exoptat, legat Plinium

lib. 2. cap. 47. Aulum Gellium lib. 2. cap. 23. Cum ergo, vt ad nostram hypothesim redeamus, tot sint venti, vt audiuistis, cur duorum solummodò meminit superius Hippocr. in temporum constitutionibus describendis obseruandisque Austri nempè, & Septemtrionis?

Nulla quidem alia ratio est auditores, vt colligitur ex Alberto Magno 3. metheor. tract. 1. cap. 20. nisi quoniam venti aquilonares, & meridionales in omnibus Climatibus fortiores sunt ceteris ventis. Sed cur fortiores hi venti sint amplius quæres? Quoniam respondetur cum eodem Alberto, ibidem, fortis ventus ob id fit, quia *plu*rimus vapor spissus congregatur non impeditus per materiæ abscissionem; & cum Sol non sit in meridie, nequè in Septemtrione nisi per illuminationem, non autem per pręsentiam corporis sui vt in Oriente, & Occidente, propterea in Septemtrione, vel meridie, fortiores venti oriuntur, quam in cæteris partibus: quoniam hæc duo puncta magis distant à præsentia Solis quam cæterę mundi partes: minus inquam in his partibus vapores dissoluuntur à Sole quam in reli-

eliquis,& ideò maiores venti fiunt quam in eliquis, vt dicebamus.

DISPVTATIO IV.

CVR, audiuistis, dubitabatur ex Aristotele superius, temporum statuumq. mutationes morbos intendant, tollantvè, iudicent, vel committant? Circa, quæ prima verba fuerunt duo examinata nempè quid nomine mutationis Aristoteles intendat, & cur flatuum meminerit. nunc subsequenter sese offerunt examinanda reliqua verba, intendant, tollantvè, iudicent, vel committant: Et quidem verba committant, vel intendant per se clarissima sunt, sed dubitatio est de verbis tollant, iudicent: Cur inquam tollant, & iudicent simul dixerit Aristoteles? nam iudicatio crisis græcè cum Hipp. in libello præceptionum, nec non etiam ex Gal. 1. aph. 20. 4. aph. 22. & alibi, est morbi ablatio. igitur superfluè, dicet aliquis, dictionem tollant in hoc loco addidit Aristoteles. Et sanè quamquam Crisis nomen iudicatio græcè multa significet, nam sumitur interdum Crisis pro

firma

firma determinatione, vel constitutione, vt videre est apud Hipp. in principio libri tertij de morbis illis verbis, quot diebus aliquis moriatur non habet iudicationem κρησιν græcè, latinè verò determinationem. Alibi verò sub eodem nomine Hipp. intellexit rationem qua de re aliqua iudicamus, vt cum dixit iudiciũ difficile, 1. aph. 1. tertio per Crysim alibi intellexit Hipp. morbi exitum, vel finem, atque id frequentius, vndè in principio libri tertij prognosticorum, febres, legitur, ijsdem numerò diebus iudicantur ex quibus, & superstites euadunt homines, & ex quibus pereunt: vbi Gal. notauit iudicari dictum promiscuè de salute, & interitu: febres benignissimæ, & signis fultæ securissimis quatuor diebus iudicantur alibi dixit, & huiusmodi. Præterea sub eodem nomine Crisis interdum Hipp. accepit incrementum vel decrementum, finem, & transitum in aliam speciem, vt in lib. de affectionibus, iudicari, legitur, est in morbis, cum aut augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt. Et denique crysis, vel iudicatio dicitur ab Hipp. interdum modus ipse iudicationis, vel signum ipsum, &

mo-

motus quo fieri iudicatio dicitur, vt verbi gratia, ſanguis de naribus fluens iudicat morbum, ipſe fluxus ſanguinis iudicatio dicitur ab Hipp. 1. Epid. ſect. 2. & lib. de internis affect. in curatione morbi epathici à cibi abſtineat, legitur, donec morbus iudicetur, iudicatur autem maximè in ſeptem diebus, in his enim manifeſtum fit an lęthalis, an non, & huiuſmodi: quamquam inquam multa, & varia ſignificet cryſis nomen, vt audiuiſtis, nihilominus pro morbi ablatione frequentius accipi veriſſimum eſt, at non omnis ablatio morbi eſt cryſis, hoc patet, ſiquidem cryſis eſt ſubita morbi ablatio apud omnes medicos, quæ autem morbi ablatio non eſt ſubita, ſed paulatim fit, & veluti per marceſcentiam, ſolutio morbi appellatur, vel deſinentia, quam quidem deſinentiam Ariſtoteles in præſenti problemate per verbum tollant intellexit: ideòque cur temporum mutationes flatuumque morbos ſoluant, & iudicent cumulatiuè dixit, quia ſcilicet, aliud eſt tollere, vt dictum fuit, aliud verò iudicare.

Amplius iudicatio eſt morbi mutatio cum Gal. vel ad mortem, vel ad ſalutem, ita

ita legitur in principio libri tertij prognost. (quamquam apud Hipp. vt videre est in histor. Epid. iudicatio antonomasticè de morbi solutione semper intelligatur ægro superstite) ablatio verò non est mutatio ad mortem, sed ad salutem.

Et denique tollere morbum est quid vniuersale, iudicare verò, quid particulare, videlicet mutatio morbi subita ad salutem; etsi amplius de perfecta iudicatione intelligatur, huiuscemodi mutatio morbi subita ad salutem in die iudicatoria erit, præindicata accedet, cum signis coctionis, cũ tolerantia,& conferẽtia,per rectitudinem,& per euacuationem humoris noxij, non per abscessum,& alijs huiusmodi ex Gal. 2. aph. in lib.de crisibus,& alibi recensitis.

Cur igitur quærit Aristoteles temporum flatuumque mutationes morbos intendant, tollantvè, iudicent, vel committant? An quia aut frigidæ, aut calidæ, aut humidæ, aut siccæ sunt? nempè mutationes dictæ committunt excessum huiusmodi qualitatum, excessus autem earundem qualitatum faciunt morbos, & propterea temporum flatuumque mutationes morbos commit-

tunt

tunt inquit Aristoteles; conseruant nimirum tempora sanitatem in hominibus per prædictas qualitates, calidas, frigidas, siccas, & humidas, optimè tamen temperatas: ergò excessus earũdem qualitatum generãt etiam morbos, sed quoniam temporum mutationes, & flatuum faciunt interdum excessum qualitatum, proptereà, inquit, Aristoteles, temporum flatuumque mutationes morbos committunt: morbos etiam tollunt eædem temporum flatuumque mutationes, nam secunda valetudo mediocritas quædam est, quodsi per humidam, frigidamvè materiam morbus constiterit tempus accedens contrarium tollere illum maximè poterit. Sed si minus contrarium subsecutum sit, qui similis status temporis superuenerit intendet sanè, atquè interimet, & sic de singulis.

PRO-

PROBLEMA IV.

CVr vomitus cum tempora immutantur citari maximè debeat? An nè conturbatio redundet cum varia excrementa materiæ inutilis ex mutandi ratione proueniant? vnde fit, vt cibum alij parum concoquant alij parum cupiant.

DISPVTATIO V.

VOMITVS antiquo tempore maximè exercebantur, vt legere eſt apud Hipp. pluribus in locis, præcipuè verò in lib. 3. diæta, vbi ad ſummum bis in menſe vomendum eſſe docebat. Sed non ſolum apud Græcos verum etiam apud Latinos vomendi vſus olim maximus erat, vndè Plinius lib. 26. cap. 3. de Aſclepiade, meritò, inquit, damnauit vomitiones tunc

ſupra

ſupra modum frequentes: arguit, & medicamentorum potus ſtomacho inimicos; quę eadem ferè leguntur quoquè apud Plutarcum in lib. de ſanitate tuenda, nec non etiam apud Celſum lib. 1. cap. 3. his verbis. Cum verò inter extenuantia poſuerim vomitum, & deiectionem, de his quoque propria quædam dicenda ſunt, reiectum eſſe ab Aſclepiade vomitum in eo volumine, quod de ſanitate tuenda compoſuit video, neque reprehendo, ſi offenſus eorum eſt conſuetudine, qui quotidie eiiciendo vorandi facultatem moliuntur. Cum ergo vomitus frequentiſſimi eſſent, apud antiquos, vt audiuiſtis, atque eoſdem in temporum mutationibus maximè citandi conſuetudo eſſet, cur in præſenti problemate quærit Ariſtoteles id ageretur. Cur vomitus inquiens cum tempora immutantur citari maximè debeant. An ne conturbatio redundet cum varia excrementa materiæ inutilis ex mutandi ratione proueniant, vnde fit vt cibum alij parum concoquant, alij parum cupiant. Vomitus ratiocinatur Ariſtoteles oriuntur præcipuè ab excrementis varijs materiæ inutilis in ventriculo exiſtentibus,

quæ

quæ quidem excrementa varia deindè faciunt conturbationem, à qua vomitus. Sed excrementa dicta maximè generantur in temporum mutationibus, ergò in temporum quoquè mutationibus sunt vomitus magis excitandi. Quod verò excrementa varia in temporum mutationibus maximè generentur, probat Aristoteles per subsequentia verba, in ijsdem inquiens temporibus fit vt cibum alij parum concoquant, alij verò parum cupiant. Sed cur in temporum mutationibus alij cibum non cupiant alij verò non concoquant, dubitabit aliquis? Cur etiam excrementa varia materiæ inutilis faciunt conturbationem, & per consequens vomitum, vt superius dictum fuit? profectò in temporum mutationibus tam vniuersalibus, quàm etiam particularibus, de quibus omnibus in præsenti loquitur Aristoteles, alimenta neque desiderantur, neq. concoquuntur, quoniam responderẽ in ijsdem tẽporibus corpora alterantur, vel ad caliditatem, vel ad frigiditatem, & huiusmodi, atq. excessus qualitatũ prædictarũ est in causa, vt alimenta nequè desiderentur, nequè concoquantur: non desiderantur

nimi-

nimirum quia non concoquuntur, non concoquuntur autem; Vt dicebam, quoniam ventriculus recedit tunc temporis à naturali statu, & moderatione, in qua sanitas consistit, atquè id propter excessum qualitatum factum à mutatione temporum dicta. Et propterea Hipp. optimè loquebatur, quandò in aph. libri tertij, mutationes temporum potissimum morbos efficiunt, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.

Quoad secundam verò difficultatem varia excrementa materiæ inutilis faciunt conturbationem, quoniam inter se seditiosa sunt, ego dicerem, qua eadem de causa Plinius lib. 11. cap. 53. homini ait victus simplex optimus, aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora, quod idem Gal. in com. 3. lib. de victus ratione in morbis acutis, aliorum auctoritate, confirmans, didicisti, inquit, cibos multiplices, & præsertim facultate dissimiles, magnam progignere in ventre perturbationem. Sic igitur, & varia excrementa in ventriculo existentia tanquam dissimilia inter se agentia pertur-

bant corpus, & ad vomitum magis dispositum reddunt: & hac etiam ratione Hipp. in lib.de diæta salubri,tria vina simul miscebat ad vomitum excitandum, nempè austerum, dulce, & acidum: nimirum vinum austerum adstringit, dulce relaxat, acidum verò irritat,& inter has contrarias vinorum facultates quædam fit veluti pugna, atque seditio, à qua postmodum conturbatio, & vomitus proficiscuntur; insurgit enim natura tanquam amica quietis aduersus vinorum dictam pugnam, & sua facultate expultrice expellit eadem, vomitumque peragit. Vndè vt dicebatur varietas excrementorum in ventriculo est causa conturbationis, & vomitus, quam varietatem cum temporum mutationes præcipuè agant, propterea in temporum quoquè mutationibus vomitus citari debent.

Sed obiter circà locum Hipp.superius allatum, cur trium solummodò saporum vini meminit? nempè dulcis, austeri, acidi, cum tamen sapores septem, vel octo numerò sint apud Theophrastum in lib. de causis plantarum, nempè salsus, pinguis, dulcis, amarus,austerus, acris, acutus, acerbus, quam-

quam

quam ſalſus à nonnullis reducatur ad amarum,quinimò tredecim inquit amplius Plin. lib. 15. naturalium hiſt. cap. 27. ſunt genera ſaporum , ac tamen vt dicebamus, trium ſolummodò meminit in pręſenti Hipp.

Nulla quidem alia ratione ego reſponderem,niſi quoniam horum ſaporum vina ſunt omnia,quæ vt plurimum in potu ſumuntur, & ideo horum modò meminit, nam ſalſa vina, amara, pinguia nequaquam potantur. Aut hos adduxiſſe ſolum dicemus ſapores quoniam pro exemplo ſatis erant , quamquam fortaſſe quælibet vini mixtio faciat, conturbationem. Aut denique hæc tria adduxit in exemplum, non quia tamen vomitum faciant, vt ſaporoſa ſunt, nam auſterum, vt adſtringit, dulce vt relaxat, acidum vt irritat vomitum faciunt.

DISPVTATIO VI.

VOMITVS citari maximè debere dicebamus cum Ariſtotele in temporum mutationibus, quoniam in ijſdem conturbatio redundat ex varieta-

te excrementorum quibus tunc ventres pręcipuè scatent, sed quoniam, vt optimè adnotat Fern. lib. 2. meth. med. cap. 2. necnon etiam recenter Eurnius Vltraiectanus in instit. med. lib. 8. cum de Simpthomatis cap. 6. est vomitus cum Hipp. alius vniuersalis, alius verò particularis, nempè vt etiam Duretus indicauit in coac. tract. 4. cum de vomitu, vniuersalis est materiæ, quæ in toto corpore, vel in venis primæ, & secundæ regionis, quæ vitium facit, expulsio: particularis verò est tantum eius materiæ, quæ in ventriculo continetur, ibiquè cunctando, aut vitio rerum assumptarum peccat, de quo nam vomitu ergo Aristoteles intendit?

Secundo, vomitus citari debent in temporum mutationibus, inquit Aristoteles, quoniam tunc temporis conturbatio fit, è contrà verò Hipp. in libro de aere, aquis, & locis, maximè autē, inquit, obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt nequè medicinas in illis libenter exhibeamus, nequè vramus, quæ circa ventrem, nequè secemus, priusquam prætereant dies decem, aut plures, & non pauciores.

Tertio in temporum mutationibus citari

vo-

vomitus maximè debent, vtrum etiam, & purgationes infernę?

Quartò, & vltimò, æstate per superiora, hyeme verò per inferiora purgare oportet, docuit Hipp. 4. aph. 4. ergo non in temporum semper mutationibus citandi vomitus maximè sunt, dicet aliquis.

Quoad primam difficultatem, sanè vomitus vniuersale verbum est, sed tamen, inquit Septalius de vniuersali vomitu, hic non intelligitur ab Aristotele, sed de particulari, & leui, nempè de vomitu materiæ in ventriculo existentis, de hoc enim vomitu, inquit idem, intellexit etiam Hipp. 1. & 3. de diæta, quandò bis, vel ter in mense vomendum esse docebat, de vomitu nempè præseruatiuo, quo veteres tam frequenter, vti solebant pro sanitate ipsorum patrocinanda.

Et quod de tali vomitu, non autem curatiuo, vniuersali, vel violento intelligat in præsenti Aristoteles, videntur docere verba ipsius subsequentia, vnde fit vt cibum alij parum concoquant, alij verò parum cupiant; cibus in ventriculo concoquitur, ab eodemdemque ventriculo expetitur. Itaquè cum loquatur Aristoteles de vomitu

qui requiritur pro concoctione cibi nec non etiam eiusdem appetentia, de vomitu particulari intelligere asserendum est, qui quidem vomitus non helleboro, aut alio huiusmodi perturbanti fortiter medicamento celebrari solet, sed vel aqua tepida largiori excitatur, vt exemplum Esopi habemus, aut oleo, butiro, vel alijs similibus.

Et sic ad secundam difficultatem accedendo, maximè autem, inquit Hipp. in libro de aere, aquis, & locis, obseruare oportet temporum mutationes, ità vt, neque vrere, neque secare, neque pharmacum exhibere conueniat per decem dies post: Neq. pharmacum exhibere oportet, hoc est forte pharmacum non exhibere oportet, non autem leue respondetur, & sic leue vomitatorium in temporum mutationibus non prohibetur, quinimò maximè propinari debet cum Aristotele superius.

Tertio vtrum, quærebatur, purgationes per inferiora citari debeant in temporum mutationibus, quemadmodum, & vomitus? Et sanè, vt superius dicebatur, temporum mutationes indicant vomitus, quoniam in ijsdem mutationibus conturbantur ventri-

culi

culi, vel nauſeabundi redduntur propter varia excrementa in ijſdem ſtabulantia, & de hac conturbatione per ſuperiora intellexit Ariſtoteles in præſenti problemate. Vndè etiam Hipp. in 4. aph. 14. cum vis helleborum magis ducere moue corpus, indicat autem nauigatio corpus motione perturbari; nauigatio inquam perturbat corpus, & nauſeam prouocat, ſiuè vomendi appetentiam: non autem nauigatio perturbat corpus, hoc eſt ad inferiorem purgationem procliuum reddit. Itaquè cum temporum mutationes conturbationem faciant, & nauſeam, ideò vomitus in ijſdem non autem purgationes infernæ, celebrandæ ſunt. vomitus inquam particulares, vt dicebamus, non autem vniuerſales, qui per fortia medicamenta fiunt, & in temporum mutationibus cum Hipp. ſuperioribus, nequè vrere, nequè ſecare, nequè pharmacum exhibere conuenit. Sed nonullorum opinio eſt dicet aliquis, aſſerentium tunc temporis purgationes infernas eſſe peragendas quandò cælum turbidum eſt, ſiuè nubiloſum, nam tunc temporis humores ſunt in motu, magiſque fluunt, ergò etiam in alijs temporum mutationibus

etiam in mutationibus inquam vniuersalibus temporum, quoniam humores ijsdem mouentur purgationes infernæ faciendæ sunt.

Sanè turbãtur humores in tẽpore nubiloso, nubes humectãt corpora, & eorundem humores maxime fluuidos reddunt; ergò in eodem tempore ijdem humores purgandi sunt, negatur: quinimmò ex eo, quod fluunt tunc temporis humores, non sunt mouendi, sed sinere oportet, sicuti in articulorũ doloribus, & alijs huiusmodi fluxionibus seruatur, nullum quidem exhibetur pharmacum cum humores in motu sunt. Hæc etiam est ratio cur in temporum mutationibus medicinæ non libenter ab Hipp. exhibeantur, quoniam scilicet tunc temporis à syderum motibus corpora mouentur, & eorundem succi, vndè alia mutatione per pharmacum infernè purgans, vel fortè, concitanda non sunt, sed vomitus particulares præcipuè celebrantur, tanquam scilicet, vt dictum est, ventriculi conturbatio adsit, nausea, vel ad vomitum inclinatio.

Quarto, æstate per superiora, hyeme verò per inferiora purgare oportet vtique verissimum

mum est cum Hipp. ergò non in temporum mutationibus citandi sunt vomitus, negatur consequentia: nam cum Hippocrates æstate per superiora purgandum, inquit, de vomitu vniuersali intellexisse dicam, & per medicamenta fortiora factus, ibiquè Hipp. de vomitu purgatiuo, & in ordine ad ægros, hic autem Aristoteles de præseruatiuo, & in ordine ad sanos, aut de vomitu genericè loquendo cum Septalio hic in commento non in omnibus mutationibus citandi vomitus, dicendum, sed in mutationibus, quæ æstate fiunt.

PROBLEMA V.

QVamobrem, qui vel cibo vitioso vescuntur, vel fame diuturna laborant, pedibus intumescere soleant? An vtrisq; per tabem, cõsumptionemq; illud accidat? tabescunt enim, & qui esuriunt, quia nullum penitus capiunt alimentum: & qui vitiose vescuntur,

quia

quia, quod assumpserint perfrui nequeunt.

DISPVTATIO VII.

TABES genericum nomen est, quod emaciationem latinè significat: est autem huiusmodi emaciatio triplex cum Celso lib. 3. c. 22. nempè phtisis, hoc est emaciatio ex vlcere pulmonum, cachexia, siuè mala corporis nutritio, nec non etiam atrophia, siuè emaciatio quandò corpus non nutritur. Omissa in præsenti problemate phtisi primâ specie tabis, de duabus reliquis mentionem facit Aristoteles, nempè cachexia, & atrophia: nimirũ propter vitiosũ alimentum siuè internum, siuè externũ, interdum homines tabe laborant, nam cum natura eodem cibo vitioso non fruatur, nequè nutriatur, fit vt tabescãt corpora, & cachexia appellatur huiusmodi tabis species. Occupat autem talis affectus religiosos nonnullos, præcipuè, quo-

quorum vitę institutum est castigare corpus cum paucis alimentis, & alijs rebus non naturalibus semper vitæ humanæ contrarijs. Interdum verò non propter cibum vitiosum, verùm propter famem, siuè cibi carentiam tabescunt homines, nam cum membra corporis non habeant succum cum quo partes à calore consumptæ restaurari possint, emacientur siuè tabescunt, atque huiusmodi tabes atrophia siuè corporis non nutritio appellatur. accidit autem atrophia, vel corporis prohibita nutritio, non semper ex fame siuè cibi carentia extrinseca; verum etiam propter cibi carentiam intrinsecam: nam adeò non nullis interdum partes naturales labefactantur, adeòquè calore destituuntur, vt suis fungi concoctionibus non valeant, vndè per consequens fames in membris, atquè corporis non nutritio siuè atrophia accidit, & hac tabis specie præsertim corripiuntur studiosi, & valde cupidi litterarum, vt obseruare licet. Sed de his quidquid sit, cur quærit in præsenti Aristoteles, qui vel cibo vitioso vescuntur, vel fame diuturna laborant, pedibus intumescere soleant? Quoniam respondet, tam qui vitiosè

sè vescuntur, quam etiam qui famem passi sunt tabescunt, scilicet cachexia, & atrophia detinentur, vndè quod deindè assumunt alimenti in se conuertere non possunt, sed humores iam crudi, vel semicocti ad pedes tanquam ad partem decliuiorem decumbunt, & sic pedes intumescunt in duabus dictis tabis speciebus. natura, vt melius rem intelligatis pro speciei conseruatione statuit in indiuiduo viuente multas facultates vegetatiuæ subordinatas, præcipuè verò nutritiuam, cuius officium est restaurare, vel continuò regenerare partes, quæ à calore naturali deperduntur: continuo inquam agit calor in substantiam nostram, vndè continuò etiàm necesse est, vt eadem substantia restauretur, ad hoc, vt species hominis in indiuiduo conseruetur, quam quidem substantiam, tribuit natura reparandi facultatem, nutritiuæ potentiæ:, nempè hæc cum comitatu aliarum facultatum naturalium, concoctricis, attractricis, & expultricis, continuò restaurat, vel regenerat partes à calore consumptas. vtuntur autem ad huiusmodi exercitium facultates dictæ calore, tanquam primò, & principalissimo instrumento,

to, quo quidem calore cum etiam, qui fame laborant, nec non etiã qui vitiosis nutriuntur cibis, careant, vt dictum fuit superius, accidit etiam, vt concoctio alimentorum deindè assumptorum non celebretur, sed inconcoctio, vel indigestio eorundem; alimentis verò non concoctis membra haud nutriuntur, cumquè non nutriantur siuè alimenta in substantiam nutriti non conuertantur, ergò alibi decidant necesse est, & præcipuè in pedes tanquam in partem decliuiorem: vndè propterea tumor pedum, & ijs, qui vitiosis vtuntur cibis, nec etiam ijs qui fame laborant, inquit in præsenti Aristoteles.

Sed leuis dubitatio ad hæc accedit, nam humidas carnes habentibus famem adhibere oportet, inquit Hipp. in aph. fames enim corpora exiccat, ergò non potest fames tumidos pedes efficere.

Respondetur, famem prima operatione, & per se exiccare, secundario verò, & per accidens humectare, nam corpora propter famem calore destituuntur, vt audiuistis, generantur cruditates, vndè postea pedum tumefactio. aut fames vniuersaliter exiccat

to-

totum corpus, particulariter incrassat, & pedes tumidos facit.

PROBLEMA VI.

QVamobrem cum vitia bilis per æstatem contrahi debeant, morbi acuti, qui certè ex bile consistunt, per hyemem potius vrgeant? an quia febribus illi comitati acuti propterea sunt, quia violenti? violentia verò contrà naturam est, locis enim quibusdam in corpore humescentibus feruens oritur inflammatio, quæ cum non nisi caloris exuperantia sit, febres vtiquè accendere potest, æstiuo igitur tempore arida calidaque vitia malè homines habent, hyberno autem humida calidaque, perindè acuta celeriter, namquè interimunt, cum propter humoris supercrescentis abundantiam concoqui nequeant.

DISPVTATIO VIII.

BILIS, vult dicere Ariſtoteles, æſtate generatur, vt ex Hipp. fortaſſe collegit in lib. de natura humana, atque bilis morborum acutorum eſt cauſa; nempè pleuritis, ardor, peripneumonia, angina, & alij huiuſmodi affectus à bile fiunt ſecundum omnes medicos, cur autem hi morbi in hyeme magis, quam in æſtate vrgent? hanc vrgentiam Septalius in com. non ad numerum refert, ſed ad intenſionem, nempè fortiores ſunt morbi acuti in hyeme, atque magis læthales, quamquam in æſtate frequentius accidant: & profectò, hæc eſt intentio Ariſtotelis in præſenti problem. tametſi non ſolum intenſiuè, at etiam ſpecificè morbi acuti in hyeme magis fiunt, quam in æſtate; hyeme enim inquit Hipp. 3. aph. 23. morbi laterales fiũt, pulmonis inflammationes, dolores pectoris, apoplexiæ, & ſimiles; æſtate verò in aph. 21. eiuſdem libri, febres continuæ, ardores Καυσι græcè, & non alij numerantur, hyeme igi-

igitur specie differentes plus numero fiunt morbi acuti, quam in æstate; sed cur id accidat quæritur in præsenti probl. cum in æstate bilis generetur causa morborum acutorum secundum omnes medicos? An quia febribus comitati, respondet Aristoteles, acuti morbi propterea etiam violenti sint? violentia verò contrà naturam est: quod autem violentia contrà naturam sit in morbis acutis hyeme vrgentibus, colligitur ex Hippocr. 2. aph. 34. vbi in morbis minus periclitantur, inquit, quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quam vbi nulli istorum congruit. Sed febris, quæ est causa violentiæ in morbis acutis hyemalibus, anni tempori non congruit, ergò violenta est, & per consequens violenti etiam sunt omnes morbi ab eadem febre concomitati, cuiusmodi acuti sunt præcipuè, nam hyems tempus frigidum, & humidum est, febris verò calida, & sicca intemperies: si ergò fiat febris in hyeme, cum ab eodem hyemis temperamento frigido, & humido impediri non possit, signum est quod causa febris maxima est, ideòquè violenta febris eadem, & violenti

violenti pariter acuti morbi sunt in tempore hyemis cum Aristotele, loquitur autem Aristoteles de morbis propriè acutis, qui semper à febre comitantur: sunt autem, inquit Hippoc. circa principium libri de victus ratione in acutis, morbi acuti hi quos veteres nominarunt pleuritidem peripneumoniam, phrenitidem Καυσον siuè ardorem latinè, & alij, qui ex his hærent quorum febres omninò continuæ sunt, & occidunt.

Est autem alia ratio, cur morbi acuti in hyeme perniciosi magis sint, in æstate verò non ita, nimirum, inquit Aristoteles; quoniam æstate calidæ, & siccæ, hyeme verò calidæ, & humidæ sunt morborum causæ acutorum, & propterea acuti morbi hyemales vehementiores perniciosiores, cum propter humoris supercrescentis abundantiam concoqui non possint.

Sed vt optimè dubitauit Septalius, morbi acuti quoniam calidi, & humidi sunt in hyeme, propterea magis vrgent dicit Aristot.; quinimmò è contra dicet aliquis, quoniam calidi, & sicci sunt in æstate magis vrgere dicēdū est, nam maior est actiuitas humoris calidi, & sicci, quàm calidi, & humidi.

Respondet, & optimè idem Septalius, vtiquè inquiens per se humores calidi, & sicci actiui etiam magis sunt, & per consequens ex ijsdem morbi maiores acutioresque: Sed ex altera parte, quoniam humidi difficilius concoquuntur, atquè in humido vera subiectatur putredo cum Aristotele quarto metheor. diutiusque durat in humido calor, quam in sicco, ideò perniciosiores, atquè contumaciores sunt morbi à causa calida, & humida tempore hyemis.

Sed non solum morbos acutos vrgere magis dicendum est tempore hyemis, ex eo quia causæ eorundem calidæ, & humidæ sint, aut quia à febre concomitantur eidem hyemi improportionata, vel similibus alijs de causis; verum id accidit etiam, quoniam tempore hyemis propter frigus externum pori corporum clauduntur, vndè causę morborum acutorum per insensibilem transpirationem resolui non possunt, sed in interiora sese magis retrahentes, intenduntur, adaugent morbos, & contumaciores reddunt.

PRO-

PROBLEMA VII.

Cur morbus pestilens solus ex omnibus vitijs præcipuè afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo propè accesserint? An quod is solus omnium morborum communis omnibus hominibus est? itaquè pestem facilè omnibus infert, qui scilicet deprauato iam habitu sunt: fit enim vt morbo cubantis veluti quodam fomite succedente vitium illud protinus exultet concipiaturquè in alijs.

DISPVTATIO IX.

PESTIS cum Isidoro quarto meth. cap. 16. à pastu, vel à pascendo dicitur; nimirum, vt inquit Gal. in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. hic morbus tanquam fera venenata non solum

aliquot paucos miserè perdit, sed totas Ciuitates depopulatur. Est affectus de genere vagantium morborum nemini dubium, huc enim illucquè fluit, & in varias orbis partes transfertur, vt experientia constat. vagantes verò morbi ex Hipp.& Gal. 1. acut. tex. com. 9. nec non etiam in principio primi de morbis vulgaribus, in duo genera distribuuntur: nempè vnum genus dicitur sporadicum, & dispersum, alterum verò commune, vel communissimum. Morbi dispersi, & sporadici appellantur quotiescumquè in vna, vel pluribus regionibus diuersorum generum vagantur, siuè sint salubres, siue læthales, cuiusmodi sunt dyssenteriæ, febres variæ, lippitudines, alui profluuia, & similes alij. Cómunes verò morbi sunt quotiescũq. eiusdem generis apparent, & vagãtur: vagantur autem, vel in vna, vel pluribus regionibus: si in vna ἐνδημοί appellantur, vel inquilini, & patrij, vt Gal. cit. loc. primi acut. docuit, nec non in principio primi Epid. cuiusmodi exẽpli gratia Tridenti sunt, quos botios gulæ appellant, Broncocelas græcè, siuè gulæ hernias, vt videre est apud Aetiũ lib. 3. tract. 4. nec non etiam apud Hipp. libello de aere

aere, aquis, & locis. Alij verò morbi communes nō vnam solum regionem peragrantur, sed plures, & diuersas interdum: hique ἐπιδήμιοι vel ἐπιδήμιοι dicuntur græcè, latinè verò populares, quatenus videlicet diuersos populos agitent. Quod si amplius huiuscemodi communes, vel populares dicti, salutares sint, proprio nomine Epidemici, si autem læthales pestilentes cum Gal. ibidem appellantur, & secundo aph. 13. Vndè pestis, vt etiam Gal. tertio in tertium, Epid. 20. & alibi melius declarauit, nihil aliud est, quam morbus communis maiorem partem eorum quos occupat interficiens: & quamquam communis morbus sit ipsa pestis, non tamen vnus est morbus, sed plura genera morborum cum Gal. ibidem. quinimò ijdem morbi supradicti salutares, vel Epidemici interdum pestilentes, & læthales esse possunt: ephemera enim, tertiana, & omnes aliæ febres, pestis sunt aliquandò, secundum Gal. & alios omnes authores, qui de peste scripserunt. & de ephemera præcipuè, In Britannia insula, quæ nunc Anglia vocatur, genus est pestilentis febris, & contagiosæ, quæ ad ephemeras referenda videtur, quod die

vna aut hominem perdit, inquit Fracastorius lib. 2. de morbis contagiosis cap. 5. aut liberat, de febre tertiana etiam, erant autem legitur in Hipp. 1. epid. sect. 2. tertianæ febres ardentibus grauiores, & fortiores, & sic de singulis, vnusquisque morbus pestilens esse potest, quamquam per se alias salutaris. Si verò pestis eadem consideretur, quoad accidentia, dolores capitis, deliria, somni præter naturam, lippitudines, inappetentia, animi deliquia, languores, & alia huiusmodi recensentur ab Hipp. in lib. Epid. nec non etiam ex Tucidide cum de peste Atheniensi lib. 2. egit. Lucretius de quadam vagante peste sic concinit in suis operibus.

Intima pars homini vero flagrabat ad ossa
Flagrabat stomacho flamma, vt fornacibus intus.
In fluuios partim gelidos ardentia morbo.
Membra dabant nudum iacentes corpus in vndas.
Insedabiliter sitis arida corpora mersans.
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.
Singultusq; frequens noctem per sepè diemq;

Cor-

Corripere assiduè neruos, & membra coartans.

Dissoluebat eos defessus antè fatigans.

Ex quibus omnibus, & alijs, manifestè constat non vnum morbum, sed omnes morbos pestem esse posse, dummodò tamen ijdem morbi communes sint, populariter vagentur, atquè maiorem partem eorum interficiant quos occupant, vt cum Gal. superius dictum est. Sed dices, interdum vagantur febres malignissimæ maioremq. partem eorum quos occupant interficiunt, & nihilominus pestiferæ non sunt, nequè pestis appellantur. ergo pestis non est solum communis, atquè læthalis affectus, vt cum Gal. definiebamus.

Respondetur, vtiq. aliquid aliud ad pestis essentiã constituendam requiri, nempè contagium, non solum enim communis est morbus ipsa pestis, sed etiam contagiosus secundum omnes Auctores. Contagium inquam est accidens proprium cuiuscumquè pestis, & ideò Aristoteles in præsenti probl. hoc septimo. Cur, inquit, ex omnibus morbis sola pestis contagiosa sit. Ideoq. Principes, vel prouinciarum ciuitatumque gubernato-

res, stante pestis suspicione; edicto cauent ne quis aduena cuiuscumque status sit, vel conditionis, eorum terras ingredi, vel peragrare audeat, multæquè aliæ prouisiones fiunt, vt præcipuè apud Massariam videre est in lib. proprio cum de peste Vicentina agebat. nam pestis contagiosus est morbus, & facilè illi, qui ad laborantes propè accedunt eadem corripiuntur, occiduntq. interdum: & propterea Marsilius Ficinus in Epid. Antid. cap. 25. pestis tempore asserebat, fuge hominum conuersationem maximè cum es ieiunus, sis semper à socio remotus in aere aperto ad minus per spatium bicubiti, & ab infecto per sex cubitos, & caue ne ventus ab eo in te spiret, & inter te, & ipsum sint sol, ignis, odores, vel fuge cito, inquit ibidem, procul, tardèque reuertaris.

DISPVTATIO X.

CVM de peste res ita se habeat, vt audiuistis, cur in præsenti, quod premanibus explicandum habemus problemate, ex omnibus morbis sola pestis afficiat

eos

eos quæritur, qui ad laborantes accedunt? Cur inquam sola pestis per contagium communicetur? Nimirum respondet Aristoteles id accidit, quoniam pestis est morbus communis omnibus hominibus. Est autem communis omnibus hominibus ex eo, quia eadem nihil aliud est quam ingens putredo cum Gal. & alijs doctoribus, venenum quoddam, inquit Ficinus in Epid. antitod. cap. 1. quod naturæ humanæ à tota substantia aduersatur: tanquam ergo ingens putredo, quæ communiter grassari potest, & per quandam auram venenatam omnibus communicari, pestis sola eos afficit, qui ad laborantes eo morbo propè accesserint cum Aristotele.

Sed septimo probl. idem Aristoteles contex. etiam septimo, scabiem, tabem, & lippitudinem contagio progredi affirmat: experientia insuper morbum Gallicum, Lepram, & alios huiusmodi affectus contagiosos esse ostendit: vndè non sola pestis, vt hic Aristoteles docet, contagio communicatur, dicet aliquis. Profectò sunt plura, quæ contagio communicantur, clarissima res est, plures quidem alij morbi præter pestem cum contagio

tagio progrediuntur; sed tamen aliud est contagium pestis, aliud verò aliorum morborum. Et vt melius intelligatis, contagium, inquit Septalius in com. nihil est aliud, quã corruptionis cuiusdam mixtorum secũdum substantiam de vno in alterum analogiam quadam transitus: qui quidem transitus triplici ratione accidit cum Fracastorio lib. 1. contag. cap. 2. aut scilicet solo contactu corrupti mixti, aut quià fomite communicatur, aut deniquè non cõtactu, & fomite tantum, sed etiam, quia ad distans corruptionem dictam transfundere possit: exempli gratia, solo contactu contagiosa sunt, quę vt marcida, & putrida inquinant, quæ ab ipsis tanguntur: cuiusmodi marcida poma per contactum marcorem inducũt etiam in alijs pomis: Morbida facta pecus totum corrumpit ouile, concinit Poeta, & Satirius.

Dedit hanc contagio labem:
Et dabit in plures sicut grex totus in agris.
Vnius scabie cadit, & porrigine porci,
Vuaque contacta liuorem ducit ab vua.

Fomite verò afficiunt, quæ morbificam affectionem intrà poros, & meatus latentem habent à marcido corpore acquisitã, alterique

que commnicatam, qui fomes putridi vapores sunt à mixto corrupto recepti, & intrà poros mixti alterius existentes, alijs deindè corruptionem communicare valent; qualia sunt lectuli, vestes laneę, pelliceæ, & vno verbo foraminolenta omnia contagionis seminaria conseruare valentia.

Tertio loco est contagium ad distans appellatum cum scilicet fit transitus corruptionis vnius mixti corrupti in aliud mixtum, sed distans: quod quidem contagium, inquit, ibidem Fracastorius, accidit quoniam corruptionis seminaria ad distans transfunduntur: transfunduntur autem seminaria dicta per vapores à corrupto mixto proficiscentes, & in medium aerem demissi, ibiquè corruptionem aeris molientes, eodem deindè mediante, infinita corpora, infiniti populi inficiuntur, vt inquit Gal. 1. de differ. febrium cap. 4. & lib. de Therica ad Pisonem, vt etiam Tucidides in peste Atheniensi antè Gal. idem asseuerat. Satiricus lib. 6. de contagio hoc ad distans loquendo sic concinit.

Finibus in Cecropis funestos reddidit agros
Vastauitq; vias, exhausit vicibus Vrbem;

Nam

Nam penitus veniēs Aegypti finibus Orcus
Aëra permensus multum, campoſq; natātes
Incubuit tandem populo Pandionis omnes.

His verò nūc de contagio prælibatis ſola quidē peſtis, inquit Ariſt. id propriū habet, vt cōtagio afficiat, cōtagio inquam ad diſtās reſpōdetur, nam peſtis huc, illucq. fertur, & in varias orbis regiones, vnde niſi contagio ad diſtans cōmunicari nō pōt, cęteri verò morbi dicti ſunt quidē cōtagioſi etiā cum Ariſt. 7. probl. 7. dicto, ſed non cōtagio ad diſtans, at contagio per contactum, vel fomitem.

Sed amplius dubitabit aliquis, lippitudo, atquè tabes communicantur alijs, etiam ad diſtans, nempè per vapores corruptos, inquit Gal. 1. de diff. febrium cap. 2. eſt quidem inquiēs eorum, qui tabe correpti ſunt, conſuetudo nequaquam ſecura, atque omnino eorum qui putridum expirant, adeò vt domus, quas habitant fętidum exhalent odorem.

Reſpondetur, quod tabes, & lippitudo non maximè afficiunt, vt peſtis: quamobrem inquit Ariſtoteles peſtis ſola maximè afficit eos, qui ad laborantes accedunt? de maxima affectione loquitur Ariſtoteles; nempè

ſtatim

ſtatim multos, & varios homines interficit peſtis, tabes autem non ſtatim ſicuti lippitudo, neque ſtatim, neque multos, quinimò nullos occidit, & Ariſtoteles dum peſtem, inquit, perniciosum morbum intelligit: quare inquiens propter hoc perniciem omnibus facilè affert,quibus corpora præexiſtunt prauè diſpoſita,quoniam æſtus morbi, qui ab eis producitur qui curantur, protinus in alijs concipitur:protinus igitur, inquit Ariſtoteles, & de illis morbis intelligit, qui protinus cõtagio ad diſtans interficiunt, quod de tabe,& lippitudine dici non poteſt.

Quibus corpora præexiſtunt prauè diſpoſita, addidit poſtremò Ariſtoteles, nimirum actus actiuorum recipitur in patiente bene diſpoſito cum Ariſtotele eodem, & Gal. lib. 1. de different. febrium cap. 4. at protinus,inquit, magnam in generatione egritudinum partem habet eius, qui paſſurus eſt,habilitas corporis.

PRO-

PROBLEMA VIII.

CVr si venti septentrionales hyemem occuparunt ver autem austros pluuiasque exhibuit, æstas proxima grauis tam febribus, quam lippitudinibus insequi soleat? An quod æstas corpora nostra multum humoris alieni continentia excipit, & terra madet, & habitandi locus terræ humidus est, talisquè redditur, qualis qui grauis perpetuò constat? primum itàquè lippitudines subeunt, cum excrementa humoris in capite delinquere incipiunt, dein febres; ita enim intelligendum est, vt res eadem, & calidissima, & frigidissima reddi possit, ceu aqua, vel lapis: feruet etenim illa, vrit hic vehementius. fit igitur, vt aer suæ crassitudinis causa calorem ple-

pleniorem suscipiens exardescat, & corpora pari ratione anxietate, æstuquè vexentur: æstus verò in corpore, febris, in oculis lippitudo est; deniquè mutatio quæque calida corpus peruertit, cum scilicet cælo adhuc madente æstas protinus sicca, & calida occupauit: vitium etiam augent si pluuia æstate accessit: Ita enim vis solis materiam latè obtinet, quam feruescere tum in corporibus, tum in terra, tum etiam in aere faciat: qua de causa febres oriuntur, & lippitudines.

DISPVTATIO XI.

HIPP. 3. aph. 11. de temporibus, inquit, siquidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver verò pluuiosum, & australe, necessè est æstate febres acutas fieri, & lippitudines, & intestinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus, & vi-

viris,qui natura sunt humidiores.Cuius sententiæ in lib. de aere, aquis, & locis rationem reddens: cum enim æstus asserebat de repentè accedat, terra humida existente à vernis imbribus, & ab austro necesse est æstum duplicatum esse,& à terra irrigua, ac calida, & à sole vrente: cum ventres in hominibus non dum constricti sint, nequè cerebrum resiccatum: non enim potest fieri cum ver tale existat, vt corpus, & caro non humore fluuida fiant:adeò vt febres acutissimæ in omnes irruant, maximè autem in pituitosos. At dissenterias par est fieri, & mulieribus, & viris humidioribus: & siquidem circa Canis exortum accedat aqua,ac tempestas, & ethesiæ spirauerint, spes est cessationis, & autumnus salubris fiat, sin minus periculum est nè pueri, & mulieres moriantur, & quæ sequuntur alia. Aristoteles verò eiusdem de quo agimus problem. rationem reddens, an quod æstas, inquit, corpora nostra multum humoris alieni continentia excipit, & terra madet, & habitandi locus præhumidus est, talisque redditur qualis qui grauis perpetuò constat.Primum itaque lippitudines subeunt cum excremen-

ta humoris in capite delinquere incipiunt: dein febres,& huiuſcemodi ab ijs quę paulò ante dicta ſunt Hipp. prorſus non aliena. Sed ex dictis Hipp. ſuperius cum etiam Ariſtotelis, oriuntur nonnullæ difficultates. Et prima difficultas eſt ex eo quia tam Hippocr. quam etiam Ariſtoteles dixerunt æſtate febres acutas fieri, vel lippitudines propter humiditatem ingẽtem, qua maximè ſcatent, aer, terra, & corpora hominum; contractam verò fuiſſe humorum humiditatem ex vere præcedente pluuioſo, & auſtrali, accedente inſuper derepentè calore æſtatis, prædicta humiditate exiſtente, neceſsè eſt æſtum duplicari, & à terra irrigua ac calida, & à ſole vrente: nimirum aer craſſior redditus ex pluuijs, quæ in vere præceſſerunt, magis accenditur tempore æſtatis, atquè intentius calefit, vndè putredines deindè, & deniquè febres acutæ, lippitudines, vel alij ſimiles morbi fiunt. Cum ergò propter humiditatem ſolam ipſius veris oriantur prædicti morbi, cur hyemis etiam temporis meminerint Hipp. atque Ariſtoteles?

Secũdo ſi hyems ſicca, & aquilonia fuerit ver verò pluuioſum, & auſtrale, neceſsè

est æstate febres acutas fieri atque lippitudines, ijdem dixerunt Hipp. & Aristoteles, ac tamen hyemis temperatura propria frigida est, & humida cum Gal. & alijs communiter. vndè accedente vere humido, humiditas dicta veris erit medela siccitatis præternaturalis hyemis antecedentis, non autem causa febrium acutarum, lippitudinum, vel similium aliorum morborum, nequè vllus morbus oriri deberet, dum siccam hyemem, ver humidum sequitur.

Tertio si hyems sicca, & aquilonia fuerit, inquit Hipp. in aph. Aristoteles verò in problem. si venti Septentrionales hyemem occuparint, ver autem Austros, & pluuias. cur ventorum hyemis, & veris meminit Aristoteles, Hipp. verò primarum qualitatum, vel temperamenti eorundem temporum?

Quarto si venti Septentrionales hyemem occuparint, vt sępius audiuistis loquitur Aristoteles, ver autem Austros pluuiasque exhibuit, æstas proxima grauis, tam febribus, quã lippitudinibus insequi solet: inferius verò lippitudines, inquit Aristoteles, primum fiunt, deindè verò febres.

Quinto vtrum nomine lippitudinis hic intel-

relligatur tantummodò affectus ille oculorum, qui propriè ophtalmia dicitur, nempè inflammatio oculorum, & præcipuè albugineæ partis, quæ ruborem ex hac affectione sibi comparare solet : an verò omne genus morbi ex fluxione ad oculos lippitudinis nomine accedat ?

Deniquè si pluuia, ac tempestas fiat circà canis exortum, & ethesiæ spirauerint, spes est cessationis dictorum morborum, cum Hipp. in eodem lib. de aere aquis, & locis: contrà communem hominum opinionem, cum æstatis temperamentum calidum, & siccum sit, sicuti è contra hyemis frigidum, & humidum : præcipuè verò Romæ : hæc est opinio ferè vniuersalis incolarum asserentium cælum Romanũ tanquam humidum, & sua natura valdè crassum, expostulare æstatem calidam, & siccam, vt nimirum siccitate & caliditate æstatis omne vitium tollatur ingentis Romanæ humiditatis.

DISPVTATIO XII.

SEX vel plures difficultates, vt audiuistis, circà problema octauum primæ sectionis enodandæ proponebantur: Erat autem prima difficultas, cur Hipp. & Aristoteles ad prædictionem morborum in proxima æstate futurorum, hyemis etiam præcedentis constitutionis meminerint, cum satis sit ad eorundem generationem ver pluuiosum, & australe. Philotheus in com.aph.11. tertiæ sectionis meminerunt,inquit,hyemis præcedentis frigidi, & sicci Hipp. atque Aristoteles, quoniam non sola humiditas veris sufficiens est, vt æstate fiant febres acutæ, lippitudines,vel alij morbi,sed requiritur etiam, vt præcesserit constitutio hyemis frigida, & sicca; cum enim hyems eximiè sicca, & frigida fuerit, potentias eximia illa frigiditate destruxit, & malorum humorum abundantiam ab Autumno cōgestam inclusit; posteà ver aduenìens calidum,& humidum existēs, materiæ fusionem facit, & humidam suo superfluo humore reddit: deindè æstas superue-

ueniens secundum eius naturam calida, & sicca, humiditatem inueniens in corruptionem trahit, quæ cordi communicatam febres postremò acutas facit.

Secundo difficultas erat ex eo, quia proprium temperamētum hyemis est frigidum, & humidum, vndè frigiditas atque siccitas erunt intemperies eidem hyemi si accedāt. Cum ergò hyemi sicco, & frigido superuenit ver humidum atque pluuiosum, talis cōstitutio erit eidem medela, siuè intemperiei pcōtractę ex frigido hyeme,& sicco,iam precesso,vnde non febres acutæ ex hoc sequentur,siuè lippitudines,at potius prohibebuntur.

Gal.in comentario satisfecit sententia mea huic dubitationi, non simpliciter inquiens præsentes constitutiones cum Hipp. fore cōsiderandas, sed ex quibus, ad quales fiant permutationes. præexiccatum itaquè corpus per hyemem siccam, & aquiloniam existentem, non modo nihil ex veris pluuijs patietur, sed potius aliqua ex parte iuuabitur, ad naturalem rediens mediocritatem: Si vero totum ver humidum fuerit, ad contrariam ducetur corpus constitutionem, illi

quæ prius inerat, ideſt ſiccæ, tranſcendens illam quæ medium tenet mediocritatem, quarè æſtas ſubſequens paratum excipiet offenſioni. Vndè vt audiuiſtis non eſt medela ver humidum & pluuioſum ſiccitati, & frigiditati ab hyeme præterito impreſſis, quoniam hìc totum ver, inquit Gal. pluuioſum, & auſtrale intellexit Hipp. intellexit etiam Ariſtoteles. Cum autem ver pluuioſum, & auſtrale dicitur, non ità eſt intelligendum, vt continuò pluat, aut ſæpe, vel vt plurimũ, ſed ita intelligitur ver pluuioſum, cum Cardano in lib. de aere aquis, & locis Hipp. lect. 58. ſuper textum tertium, vt terra ità madeſcat, vt antequam exiccetur, iterum pluat, & hoc in profundo: vt potè ſi ante aduentum æſtatis plueret per quindecim dies continuos, & poſtmodum ſuccederet ſerenitas per duodecim dies, antè quam adueniret æſtas, nihilominus dicitur tempus illud pluuioſum, quià terra eſt madida in profundo: ita etiam è contrà de vere frigido, & ſicco intelligendum, ſcilicet vt in profundo terræ ſiccitas atquè frigiditas reperiatur, vt de alijs conſtitutionibus hic intelligit Cardanus.

Ter-

Tertio in aph. 11. tertij libri superius adducto Hippocr. qualitatum, vel intemperiei hyemis, & veris mentionem fecit, Aristoteles verò hic in problem. nostro octauo flatuum atq. vētorum, qui in dictis temporibus perflarunt, cur ergò id actum sit? Nulla quidem discrepantia est, respondetur in hoc loco inter Hipp. atquè Aristotelem: nam venti sunt causæ constitutionum cuiuscumque temporis, cum etenim venti nubes ferant, vel aliò pellant, interdum pluuias, interdum verò serenitates inducunt, prout nimirum diuersa per loca transeunt: namque flando, eas qualitates secū ferūt, quæ ipsis obuiam fiunt. qui inquam venti maria transeunt humiditatem, & pluuias secum ferunt, cuiusmodi sunt venti omnes meridionales, nempè Auster, Eurus, Africus: Septentrionales verò cum itinera terrea habeant, terraque frigida, & sicca sit, propterea frigidi etiam & sicci sunt, quales Boreas, siuè Septentrio, dicuntur, Tracius, Aquilo. Cum ergò venti pluuiarum causæ sint, atquè pluuiæ à ventis deferantur ideò licet Hipp. pluuiarum atq; Aristoteles ventorum meminerint, inter se nō differunt, quià licet diuersis nominibus,

idem tamen vtriquè intellexerunt.

Quarto si vẽti Septentrionales hyemem occuparint, ver autem Austros, & pluuias exhibeat, æstas proxima grauis, tam febribus, quam lippitudinibus insequi solet: inferius verò primum lippitudines, inquit Aristoteles, deindè verò febres. cur primum lippitudines, quam febres fiant, nunc queritur? Primum lippitudines fiunt respõdetur quoniam excrementa humoris, cum Aristotele in hoc problemate, in capite delinquere incipiunt: caput enim suprà situm est, inquit Hipp. in lib. de glandulis, sursum cauum atquè rotũdum, humiditatem ex reliquo corpore complectens, à capite inquam fluunt præcipuè humiditates in reliquas corporis partes; ideo oculi tanquam capiti proximiores, primum afficiuntur, atquè lippitudines fiunt: deinde vero febres, nam humores dicti à capite in venas defluentes sunt in causa earundem febrium. Lippitudines itaquè primum, deindè febres, optimè dixit Aristoteles, quoniam à capite defluendo humores primum oculos inueniunt, deindè venas, vel alias partes.

Quinto dubitatur à nonnullis, vtrum nomine

mine lippitudinis hic omne malum veniat oculorũ à fluxione capitis ad oculos exordiens? Et quidem lippitudo latinum est nomen significans apud Celsum lib. 1. cap. 2. malum illud oculorum, quod à grecis ὀφθαλμία dicitur: cum autem lippitudo in textu græco hic ὀφθαλμία dicatur, ideò non omne malum oculorum, sed vnam speciem morbi, nomine lippitudinis, hic intelligemus: nempè inflammationem adnatæ oculorum tunicæ ex Celso ibidem: cum etiam calor æstatis, & humiditas hyemis præcedentes, sint potius dispositæ ad generationem inflammationis oculorũ, & ὀφθαλμίας, quàm ad alios morbos.

Deniquè in lib. de aere, aquis, & locis, si pluuia, ac tempestas fiat circà canis exortum, & ethesiæ spirauerint, spes est cessationis dictorum morborum, cum Hipp. contrà communem hominum opinionem, cum æstatis temperamentum calidum, & siccum sit, præcipuè verò Romæ hæc est opinio fere vniuersalis incolarum, quam etiam Cardanus sequitur, si rectè memini, in lib. de sanitate tuenda; tanquam enim Roma cælum humidum requirit æstatem dicunt calidam, & siccam ad hoc vt excessus humiditatis di-

ctæ

ctæ tollatur. Profectò æſtas calida,& ſicca, eſt temperamento proprio, nihilominus ſi pluat circà canis ortum, & etheſiæ ſpirarint, ſpes eſt ceſſationis dictorum morborum: nam per pluuias circa canis ortum, & per etheſias non tollitur æſtati temperamentum proprium calidum, & ſiccum, quinimò conſeruatur: impeditur enim per eaſdem pluuias, & etheſias exceſſus caloris, & ſiccitatis in æſtate, præcipue verò circa canis exortum, à quo calores ingentiſſimi fiunt; qui quidem calores in exceſſu, etheſiarum flatu maximè attemperantur cum Tullio de natura Deorum lib. 2. Ideò ſi pluat vel etheſiæ ſpirarint circà canis exortũ, ſpes eſt maxima ceſſationis dictorum morborum, vt dictum fuit. Sed vtrum Romæ id etiam valeat? Sanè vt indicabatur ſunt variæ circa hoc opiniones, nihilominus experientia eſt rerum magiſtra, & cum Ariſtotele relinquere ſenſum propter rationem eſt imbecillitas intellectus. Alexãder Petronius qui per 40. circiter annos in hac ciucitate medicinam fecit, in lib. 1. de victu Romanorum cap. 5. & lib. 5. cap. 9. recenſet Vrbem Romam ſemper melius æſtate degiſſe quandò etheſiæ

ſpi-

ſpirarunt,& tempeſtiuè pluuię fuerunt: ſicuti de anno 1628. accidit,cum pluuiæ fuerũt circà canis exortum, atquè vẽti Septentrionales ſpirarunt,æſtas temperata fuit,calores moderati, ideòque ſalubritas etiã tam æſtate,quàm autumno: nullæ enim febres malignæ apparuerunt pauciſſimi ægrotarunt, & qui ægrotarunt deindè facilè conualuerunt. Marſilius Cagnatus Doctor meus præſtantiſſimus, qui etiam per 40. alios circiter annos in hac Vrbe medicinam exercuit, idem teſtatum mihi fecit pluries. Et ego, qui Romæ vigintiquinque circiter annis verſatus fui, nunquam ſanam obſeruaui ciuitatem cum æſtate calidiori, ſaluberrimam è contrà cum temperata per pluuias, & etheſias aerem refrigerantes, vt ſæpius dictum fuit.

PROBLEMA IX.

CVr ſi hyems auſtrina, & pluuioſa fuit, ver autem ſiccum, & aquilonium eſt, corpora tam vere, quam æſta-

æstate morbi exercent? An quod hyemis tepor, & humor faciunt, vt corpora tepori eiusmodi proxima in qualitate reddantur? humida enim laxaque fiant, & soluta necessè est, quæ cum ità se habeant, vere frigido, atquè sicco, facilè concrescere possunt, & indurar. Itaque grauidæ quibus tunc adest partus abortu periclitantur, videlicet incalescendi; crudescendiq́ ratione, quæ res sideratio appellata est, quam sicca illa committit frigiditas, impatiens omnino excernendi humoris. Infantes vero, quos gerunt imbecilles læsosque immodicam ob frigiditatem edunt; accidit enim, vt qui tunc cœlo sereno nascuntur, ijdem pluuio benignè, & constiterint, & nutriti fuerint intra parentem, cæteris verò cum pituita, vitio suæ nimietatis purgata non est, quod fit vbi tepidum se exhibuit, sed

coa-

coacta à frigore constitit, cum tepor occupauit, æstatis vi colliquescit: si biliosi siccique sunt, quod eorum corpora minimè humidam, sed squalibundam sortiuntur naturam, excitanturi quidem humores, sed tenues: quamobrem eos lippitudo arida malè habet, si vero pituita redundat, raucitates, distillationesque in pulmonem oriuntur: mulieres extorquent difficultates intestinorum, quià natura sunt humida frigidaquè: seniores stupor attonitos reddit vbi vniuersus resolutus humor incubuit, exquè imbecillitate caloris natiui concreuit.

DISPVTATIO XIII.

IN tex. 12. lib. 3. aph. Hipp. ex quo ad verbum fere hoc problema deprompsit Aristoteles legitur etiam dictio græca ἔνδιος quam dictionem nonnulli interpretãtur serena, hoc est, si hyems austrina,

ſtrina, & pluuioſa fuerit, & ſerena: ſed quoniam implicat adeſſe ſerenitatem, & pluuias ſimul, ideo Celſus lib. 2. cap. 1. legit hunc textum abſque dictione εὔδιος quemadmodũ & Manardus neotericè lib. 1. epiſt. 2. Theodorus verò Gaza ad tollendas omnes difficultates, dictionem εὔδιος, tepida legit: nempe ſi hyems auſtrina, & pluuioſa, & tepida fuerit: quam quidem interpretationem collegit fortaſsè ex verbis præſentis problem. quandò reddens rationem Ariſtoteles eorum, de quibus dubitauit, an quod hyemis tepor, inquit, & humor faciunt, vt corpora tepori eiuſmodi proxima in qualitate reddantur: quamquam ex altera parte hæc dictio εὔδιος in Ariſtotele non reperiatur. Quidquid tamen de hoc verbo ſit, fuit ſermo Ariſtoteli in antecedenti probl. de morbis, qui æſtate expectandi ſunt, quandò hyems non naturaliter frigida, & ſicca, ver verò pluuioſum, & auſtrale præceſſerunt. In hoc verò probl. quod præ manibus habemus, agit de morbis, qui accidunt quãdò è contra hyems auſtrina, & pluuioſa fuerit, ver verò ſiccum, & aquilonium: & inquit, mulieres quibus partus in ver incidit abortu periclitantur,

quæ

quæ verò pariunt imbecilles, & morbidos infantes pariunt;quarè vel ſtatim intereunt, vel tenues, & valetudinarij viuunt, cæteris verò mortalibus difficulates inteſtinorum, lippitudines ſiccæ fiunt, raucitates, diſtillationeſquè in pulmonem, ſenioribus verò diſtillationes, quæ eoſdem attonitos reddant.

Sed cur prædictis exiſtentibus conſtitutionibus hyemis, & veris, mulieres, quibus partus in ver incidit periclitãtur, aut infantes imbecilles,& morbidos faciunt,itaut vel ſtatim moriantur, vel valetudinarij viuant? Cur etiam lippitudines ſiccæ, & alij dicti morbi expectandi ſunt? Gal.in com.aph.12. tertiji libri, mulieres,inquit, abortu periclitantur, quibus partus in ver incidit, ex eo, quia corpora humida,ac mollia,& rara reddita per hyemem tepidam(ecce igitur etiam Gal. hyemem tepidam legit) ad intimas ſui partes aeris ambientis frigiditatem facilè admittunt: itaquè quicumquè infantes longo tempore aeris tepori aſſueuerunt, percuſſi vehementer à frigore non abſquè cauſa deprehenduntur, alij quidem iam mortui in ipſo vtero, alij verò in ipſo partu mori.

Ari-

Aristoteles verò huiusmet rei in probl. rationem reddens non immediatè, vt Gal. à frigore externo interfici pueros;at an inquit quod hyemis tepor,& humor faciũt, vt corpora tepori eiusmodi proxima in qualitate reddantur? nempè humida laxaquè fiant & soluta, quæ vere frigido, & sicco deindè accedente facilè concrescere possunt, & indurari. Itaquè grauidæ quibus tunc adest partus, abortu periclitantur, videlicet incalescendi, crudescendiquè ratione, quæ res syderatio σφακελος græcè appellata est; quam illa committit frigiditas impatiens omninò excernendi humoris. Est autem syderatio, & σφακελος græcè, mortificatio alicuius partis, vt colligere est ex Hipp. pluribus in locis, à Foesio ad notatis in sua oeconomia, nec nõ Gal. docet primo aph. 50. com. 2. in lib. de fracturis, & alibi; mortificatio autem partis fit per extinctionẽ caloris innati: qui quidẽ calor innatus extinguitur tum à sũmo calore, tũ à sũmo frigore: à sũmo frigore, præterea, vel per se tãquã à cõtrario accidit extinguente contrarium, cuiusmodi Sil. lib. 2. & 4.

Gelido torpentia frigore membra
Multoque gelu torpentia neruos.

Et

& alia huiusmodi concinit. Vel ex accidente, & per Antiparistasim, pellente nimirum externo frigore calorem innatum ad partes interiores, accidit, vt idem calor auctus, atquè roboratus humidum consumat, quod eiusdem caloris pabulum erat; deficiente verò pabulo vitæ, & calori sequitur interitus; & sic ex frigore extinctio caloris accidit, veluti scilicet per quandam adustionem; quam etiam frigoris adustionem cognoscens. Virgil. in Aeneid. 1.

Aut boreæ penetrabile frigus adurat.

Concinit.

Et de hac syderatione, vt puto intellexit Aristoteles in præsenti problemate, nimirum, propter frigus, & siccum externum veris, pueri intrà vterum syderantur, atquè moriuntur. Syderãtur inquam, sed non propria syderatione aut sphacelo, at syderantur impropriè, quatenus videlicet moriantur morbo simili σφακέλῳ, aut mortificationis ex magnitudine inflammationis acta: siquidem sphacelos nõ semper propriam, & insignem mortificationem significat, sed satis est, vt affectus sit in via ad mortificationem: Vnde Hipp. 2. de morbis σφάκελος ἐγκεφάλου in coacis

prænot. ἐγκεφαλῆ σφακελίσαντος cerebro scilicet syderato: cerebri autem syderatio hìc intelligitur, vbi à quacunque causa ad tantam corruptionem incidit, vt tandem ad syderationis periculum tendat. Gal. etiam secundo de locis affect. 12. nequè de significatione, inquit, huius vocis σφακελος inter omnes conuenit; quidam enim dolorem vehementem indicari dicunt, quidam etiam tantum inflammationis excessum, vt corruptionis periculum in parte inducat, quod cangrænam nonnulli nominant; alij vero partis affectæ corruptionem ipsam, alij conuulsionem, alij etiam non simpliciter conuulsionem, sed eam quæ ex neruosorum corporum inflammatione contingit; Alij fortem tensionem, alij putredinem, alij verò aliter hoc nomen interpretati sunt: vndè apud Aristotelem hic nos etiam syderationem dicemus in pueris intrà vterum mortem ex aliquo morbo inflammationi simile factã, propter Antiperistasim ex frigore externo veris, cum hyems humida atquè tepida præcessit, à qua tepiditate hyemis corpora laxa, rara, & penetrabilia magis reddita erant. Et hac ratione, inquit Aristoteles, mulieres, quibus partus

in

in ver incidit periclitantur, si hyems australis pluuiosa, tepidaque fuerit, ver autem siccum, & aquilonium.

Infantes verò subdit Aristoteles, quos gerunt statim intereunt, eadem ratione, aut valetudinarij viuunt: nimirum pueruli dicti imbecilles editi, nequè etiam externi aeris iniurias pati assueti, ab externo veris frigore maximoperè læduntur: vndè debiles, & valetudinarij viuant necesse est.

Cæteris verò mortalibus deniquè, inquit Aristoteles, lippitudines siccæ, intestinorum difficultates: senes verò stupor attonitos reddit. lippitudines siccæ, inquam, hoc est lippitudines siuè inflammationes membranæ oculorum adnatæ sinè fluxu materiei cum Gal. 3, aph. 13. in com. accidunt autem siccæ lippitudines non omnibus, inquit Aristoteles, at ijs solum, qui bilioso temperamento sunt; pituita enim in capite contracta propter hyemem pluuiosam, & australem, deindè verò ibidem retēta propter frigus, & siccum veris, accedente æstatis calore liquefit, & tanquam subtilis propter biliosum temperamentū, in quo reperitur, ad oculos defluxa, lippitudinem siccam, non autem hu-

midam facit: si verò pituita redūdat raucitates, distillationesque in pulmonem: sicuti mulieribus (præcipuè adderem quoniam Hipp. in lib. de aere aquis, & locis; vbi hæc eadem dicit, non mulieribus addidit, sed omnibus; vt Gal. etiam in comentario idem affirmat) difficultates intestinorum δυσεντερίαι græcè, nam frigida, & humida est mulierum natura, inquit Aristoteles. Difficultates intestinorum inquam cum Hipp. in lib. de aere aquis & locis à pituita salsa: vel enim difficultas intestinorum, tormen latinè cum Celso lib. 2. cap. 1. fit à bile, aut à pituita salsa: hic de torminibus à pituita salsa intelligitur, cum eadē ex fluxione pituitæ à capite fiant vt audiuistis; quorum curatio insuper difficilior est quam torminum à bile cum Hipp. loco dicto; ratio est autem, quoniam magis adhæret, atq. difficilius concoquitur pituita salsa, quàm bilis.

Senes, deindè sequitur problema, attoniti fiunt, ἀποπληξίαι, græcè. sed circà hoc verbū attoniti, vel ἀποπληξίαι, est aliqua dubitatio? nam in Hipp. aph. 3. lib. ex quo hoc oritur problema, non ἀποπληξίαι, sed Κατάῤῥοι συντόμως ἀπολλύντες, hoc est destillationes citò occiden-

tes,

tes: quem locum referens etiam Celſus lib. 2.cap.1.ſenioribus ait grauedines atque diſtillationes,quæ malè afficiant: in coacis verò prænotionibus valdè autem ſenibus, legitur, defluxiones propter raritatem, & eliquationem venarum,adeò vt aliqui quidem de repentè pereant, aliqui verò ſemiſyderati,aut dextera, aut ſiniſtra parte fiãt. Itaquè prædictis cum omnibus auctoribus, non attonitos ſolum æſtate fieri ſenes, nequè apoplexia, aut paraplegia corripi, ſed deſtillationes pati dicemus,à quibus hic,& alij magni morbi oriri poſſunt, quandò hyems pluuioſa, & auſtralis, ver verò ſiccum, & aquilonium fuerit.

Deniquè hyeme exiſtente pluuioſa, & auſtrali,vere autem ſicco, & aquilonio, lippitudines ſiccæ, quibus verò pituita redundat raucedines, & diſtillationes in pulmonem, mulieribus verò difficultates inteſtinorum fiũt,inquit Ariſtoteles. Quo inquam tempore fiũt quæret aliquis?In vere, & ęſtate fiunt prædicti morbi plurimi commentatorum,dicunt. At cum ad generationem dictorum morborum requiratur actio caloris æſtiui, nempè ex colliquatione quadam pi-

tuitæ existentis in capite fiunt, vt cum Aristotele audiuistis, propterea æstate fieri, & expectandos esse dicam ante dictos omnes morbos. neque obstat, quod mulieres, quibus partus in ver incidit periclitentur, quoniam particulariter de mulieribus id dicitur, atquè in mulieribus obseruatum est: morbi verò non vere, at æstate expectandi sunt, cum etiam in hoc problemate omninò contrariã intelligat Aristoteles ijs, quæ præcedenti probl. dicta sunt: cùm cõstitutio temporum præcedentis probl. sit omninò contraria constitutioni temporis præsentis. Si hyems, dicebatur in præcedenti, sicca, & aquilonia, ver verò pluuiosum, & australe, æstate febres acutæ, & quæ sequuntur. Ergò è contrà si hyems pluuiosa, & australis, ver verò siccum, & aquilonium, ęstate lippitudines siccæ, raucedines, & distillationes ad pulmonem, mulieribus difficultates intestinorum.

PRO-

PROBLEMA X.

Cur si æstas sicca, & aquilonia fuit, autumnus ex aduerso humidus, atque austrinus, hyeme, quæ proxima est, dolor capitis, raucitas, tussisque oriantur, atque in tabem demum euadant? An quia hyems multum materiæ excipit? itaquè humorem cogere, atquè pituitam indè cõficere magnum ei negotium est (ergo difficile est humorem densari conficique indè pituitam) Quod si in capite humor constiterit grauitatem committit, & si nimius frigidusque est crudorem vtiquè mouet, cui syderatio nomen est: necnon si ob nimiam sui copiam concrescere minus potuit, in locum defluit proximum, atquè itá tussim, raucitatem, & tabem contrahit.

DISPVTATIO XIV.

EGO relinquã hic varietatem lectionis examinare, quàm habuit Aponensis in suo comentario, cũ satis superque declarata sit à viris doctissimis Septalio, & Guastauino: cum etiam Hippoc. à quo mutuatum hoc habuit problema Aristoteles in 3. aph. 13. vt supra legat. nempè si verò æstas sicca, & aquilonia, non autem sicca, & austrina, vt legit Aponensis: implicat enim amplius constitutionẽ aliquam siccam, & austrinam simul esse, cũ Austri, natura sua, sint humidi, vt superioribus declarabamus, loca enim perambulant aquosa, & humida, vndè etiam secum semper humiditatem ferant necesse est; sicuti è contra Septentrionales venti, quoniam per loca transeunt sicca, & frigida, frigidi etiam & sicci sunt ijdem; vnus enim substantialiter est ventus nempè exhalatio calida, & sicca, diuersificatur autem à temperamentis locorum per quæ transit.

Si æstas igitur sicca, & aquilonia fuerit, autũnus aũt pluuiosus, & australis, necesse

est

est hyeme fieri dolores capitis,tusses,raucedines,grauedines,quibusdam autem tabes. sed cur non febres acutas, lippitudines siccas,intestinorum difficultates,& alios huiusmodi morbos,quos eandem constitutionem descriptam superius in octauo problemate efficere dicebatur ab eodem Aristotele?

Respondetur breuiter eandem constitutionem secundum diuersa tempora,diuersos etiam efficere effectus,& morbos;actus enim actiuorum recipitur iuxtà passi dispositionem;aliter hyems, aliter verò æstas disponit: hyems frigida,& humida est, æstas autem calida, & sicca: ideò alio modo agit hyems cum constitutione præternaturali ęstatis,& autumni,alio verò modo agit ęstas cum qualitatibus receptis à non naturali constitutione hyemis, & veris, atquè vna cum eadem constitutione generantur alij morbi æstate, alij verò hyeme. Ratio autem cur æstas sicca, & borealis, & autumnus humidus,& austrinus,sint in causa,vt hyeme dolores capitis,raucedines,tussesque oriantur, atque tabes, est secundum Aristotelem in presenti probl. quoniam hyems multum materiæ excipit,itaquè humorem cogere,

atquè

atquè pituitam indè conficere magnum ei negotium est: nimirum hyems natura humida, recipiens amplius ab autumno humiditatem, reddet corpora, & capita præcipuè hominum humidissima: nam Austri auditum hebetant, caliginem visui offundunt, caput grauant, inquit Hipp. in 3. aph. 5. grauant autem ratione humiditatis, vndè ingenti etiam humiditate prædicta, refertis hominibus, calor naturalis eandem consumere non valuerit, ideòque vt dolores capitis subinde patiantur necessè erit, atquè si eadem humiditas non in capite solum retineatur, sed in inferiora distillet, in fauces raucedines, in pulmones tusses, vel denique φθόες, siuè φθίσεις cum Hipp. in aph. descendendo efficiet.

Sed si æstas sicca, & aquilonia fuerit, autumnus verò pluuiosus, & australis, dolores capitis, raucedines, tusses, atque tabes fiunt ex multitudine, vt audiuistis, humoris frigidi, & humidi in capite existentis; quod si amplius in eodem capite humor cõstiterit grauitatem committit, & si nimius frigidusquè est, crudorem vtique mouet, cui syderatio σφακελισμὸς græcè nomen est, addit Aristoteles in eodem præsenti problem. hanc dictionem

verò

verò σφακελισμοῦ declarauimus in probl. nono superius quid significet: plura enim cum Gal. 2. de locis affect. cap. 12. in se continet nomen istud: videlicet dolorem, vehementem inflammationem cum periculo corruptionis, corruptionem ipsam, vel mortificationem, conuulsionem, tensionem, & huiusmodi. Hic ergò quidnam significet? Septalius in coment. & Guastauinus ex Hesiocho σφακελισμοὺς ingentem dolorem significare dixerunt: Aponensis verò dolorem illum vehementissimum cum pulsatione in capite, quem Sodam Arabes appellant. Sed connectamus, perpendamusquè Aristotelis verba: quod si in capite humor constiterit grauitatem committit, & si nimius frigidusquè σφακελισμοὺς, inquit Aristoteles, efficitur, humor autem nimius, atque frigidus non facit σφακελισμὸν siuè ingētem dolorem latinè; quia ingens dolor, non à causa frigida, at calida magis soluente vnitatē efficitur. Itàq. nomen σφακελισμοὺς nequaquam ingentem dolorem significabit, & ideo fortassè Theodorus Gaza hāc dictionem crudorem interpretatus fuit. Sed quid est crudor dicet aliquis? An crudoris nomine, sicuti, & nomine σφακελισμοὺς intel-

telligat hic Aristoteles intensam capitis frigiditatem cum obtusione : nimirum dolet interdum grauatiuè caput, sed absq. vlla concoctione humoris, ità vt caput tanquam nimis refrigeratum sit veluti stupidum, atquè inordine ad caloris extinctionem, quam caloris in partibus extinctionem significat etiã σφακελισμὸς, vt pręterita in disputatione cũ Gal. audiuistis: retenta enim pituita ob frigiditatem, & multitudinẽ iuxtà philosophum, potius quam putredine mouet syderationẽ, ideſt morbum attonitum, inquit Cardanus in lib. de aere aquis, & locis Hippocr. lect. 6. text. 7. vndè crudor Gazæ σφακελισμὸς græcè, erit morbus attonitus latinè.

Si æstas itaquè sicca, & aquilonia fuerit, autumnus autem humidus, & australis ad hyemem dolores capitis (grauatiui ego dicerem) stupor, & veluti morbus attonitus, tussis, raucedo, & tabes fiunt: quod si è contrà autumnus aquilonius, & siccus sit, ijs, qui habent naturam humidam, & mulieribus confert, reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines longæ, nonnullis verò morbi melancolici, inquit Hipp. in aph. 14. tertij lib. in quo lo-

co

co notandum est cum autumno frigido, & sicco intelligi etiam ab Hipp. æstatem frigidam, & siccam, quamquam æstatis in dicto aph. nulla reperiatur scripta mentio, non aũt pluuiosam, & australem, vt Arist. in probl. 11. declarat. sed cur mulieribus, & humidam naturam habentibus conferat prædicta constitutio sicca, & aquilonia, cur etiam ab eadem cõstitutione lippitudines siccę, & febres acutæ profluant, aut grauedines longæ, & morbi melancolici, declarat Aristot. in sequentibus probl. vndecimo, & duodecimo.

PROBLEMA XI.

CVr si sicca æstas siccusq; autumnus aquilones habuerint, mulieribus, & omnibus pituita abundantibus secunda valetudo contingat? An quia natura vtrorumq; in alteram exuberat partem? Itaq; tempus in partem trahendo contrariam ad medium habitum bonumq; perducit. Eo igitur ipso tempore optimè valent,

lent, nisi quid vltrò ipsi perperam agant, aut humidi ad hyemem ita deueniant, vt fomitem quendam, & incitabulum frigori subministrent.

PROBLEMA XII.

Cur si sicca æstas, & aquilonia, & autumnus siccus iisdem Aquilonibus perflatus, morbos biliosos infestet? an quoniam ad idem corpus eorum, ac temporis habitus vergunt? itaquè veluti ignis igni adiicitur. Cũ enim corpora exiccentur, quantumq; in his dulcedinis erat euaporatum sit, vehementerq; incalescant necesse est, vt dũ humor consumitur aridæ lippitudines oriantur, residuoq; quod biliosum remanserit, eodemq; recalescente febres acutæ, vt potè ex bile syncera, inuadant: nõnullos insania rapit quorũ scilicet natura atrabile abundat: nec etenim largè superest cũ eius humores cõtrarii resiccescãt.

DI-

DISPVTATIO XV.

HAEC duo problemata collegit Celſus lib.2. c.1. ex Hipp. lib. de aere, aquis,& locis,his verbis: ſin autem autumnus quoquè ęquè ſiccus ijſdẽ aquilonibus perflatur, omnibus quidem molliori-bus corporibus, inter quæ muliebria eſſe, propoſui, ſecunda valetudo contingit, durioribus verò inſtare poſſunt, & aridæ lippitudines,& febres partim acutæ, partim longæ,& hi morbi, qui atrabile naſcũtur. Ratio autem cur æſtas ſicca,& aquilonia,cum autumno eiuſdem naturæ ijs,qui habent naturam humidam conferat,& mulieribus,fertur ex Ariſt. in probl.11.quoniam inquiens mulieres,atq. alij natura humidiores,ab ea cõſtitutione,quæ illis contraria eſt exiccantur, atq. ad temperatiorem naturam ducuntur: exceſſus enim vnius contrarij alterum trahit ad mediocritatẽ, docebat Ariſtoteles in ſuperioribus, & contraria contrariorum remedia ſunt medicè loquendò.

Sed natura mulierum, dicet aliquis, eſt humida, itaquè à ſicca conſtitutione non iuua-

iuuabitur, similia enim similibus conseruantur, dissimilibus autem destruuntur.

Respondetur quod hic sermo est Aristoteli de mulieribus superfluam humiditatem habentibus, sicut, & de hominibus natura humidioribus.

Cur etiam si æstas sicca, & aquilonia fuerit, & autumnus sicccis iisdem Aquilonibus perflatus, morbo biliosos infestet; nempè aridæ lippitudines, febres acutæ, nonnullos etiam insania rapit, Aristot. idem in duodecimo probl. docet: an inquiens quoniam ad idem corpus eorum, ac temporis habitus vergunt: itàquè veluti ignis igni additur: cũ enim corpora exiccentur, quantũquè in his dulcedinis erat, euaporatum sit, vehementerquè incalescant, necessè est, vt dum humor consumitur, aridæ lippitudines oriantur, residuoque quod biliosum remanserit, eodemquè recalescente, febres acutę vt potè ex bile syncera inuadant.

Sed vnumquodquè agit secundum suam potentiam, dicet aliquis, nequè ab agente id dari potest, quod non habet: Ideò cum bilis calida sit, & sicca natura sua, à constitutione frigida æstatis & autumni fieri non

po-

poterit; igitur neque etiam febres acutas, aut lippitudines biliosas ab eadem constitutione fieri dicendum est.

Respondetur quod constitutio frigida, & sicca æstatis, & autumni vtique vt frigida est, bilem efficere non poterit: sed tamen eorundem temporum constitutio, vt sicca est potest acuere bilem; addendo enim eidem bili siccitatem, fit etiam vt magis actiua sit, ideoquè à cõstitutione frigida, & sicca æstatis, & autumni, lippitudines siccæ, febres acutæ, alijque huiusmodi morbi consequentur cum Aristotele. In siccitatibus febres acutæ fiunt, inquit Hipp. 3. aph. 7. non quia, vt nonnullis placuit, in constitutione dicta frigida, & sicca bilis generetur; quoniam bilis calida, & sicca est, non autem frigida, & sicca: frigidus enim, & siccus humor melancolicus dicitur, vndè in eadem constitutione frigida, & sicca, melancolia potius quam bilis generaretur: at in siccitatibus nihilominus febres acutæ fiunt, quoniam siccitas est lima caloris, vnde adiuncta siccitate maiori biliosis corporibus acuitur bilis, & biliosi vel acuti morbi enascuntur.

Nonnullos insania Μανία græcè rapit (inquit

quit vltimo loco Aristoteles) Hipp. verò, à quo problema hoc habuit Aristoteles, non insania, sed morbi melancolici fiunt, in aph. 14. tertiæ sectionis docuit, quod etiam magis rationi consonum esse videtur, nam frigida, & sicca constitutio magis apta est ad generationem melancoliæ, quam alia, & ideò affectus melancolici cum Hipp. nempè insania melancolica, quamquam insania, melancolica, & furor Μανία græcè, apud nonnullos non differant, sed de his nominibus quidquid sit, nequè etiam ab Hipp. verbis differt oratio Aristotelis in problem. nonnullos enim, inquit insania rapit, quorum scilicet natura atra bile abundat: loquitur itaquè Aristoteles de insania quę à bile atra, siuè nigra generatur, quod idem est, atquè dicere melancolicam affectionem.

PRO-

PROBLEMA XIII.

CVr mutationem aquarum grauem, aeris vero non grauem esse affirment? An quod aqua corporibus alimento est, quo iam habito complexoquè peregrinemur? Aer autem nullo se exhibet alimento: aquarum item genera multa, & varia per se sunt, sed aeris minimè. Itaque hoc etiam causæ esse potest, quippe cum peregrè etiam profectis in cælo quidem propè eodem, ni aquis autem varijs versari eueniat: quapropter aquæ mutationem grauem esse rectè putandum est.

DISPVTATIO XVI.

EX dictis præsentis textus oriuntur statim in aduersum dubitationes. & primo falsum esse videtur aeris

mutationem grauem non esse: nam mortalibus vitæ, & morborum ægrotis solus aer est author legimus in Hipp. contex. 4. lib. de flatibus, & lib. de natura humana com. 2. tex. 2. fiunt autem morbi, tum à victu, tum etiã à spiritu, quo attracto viuim⁹. Ambiens prætereà is est, sinè quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, cum Gal. 9. meth. 14. sed non solum in ordine ad ægrotos, verum etiam, & ad sanos aeris mutatio grauis est: mutationes enim victus, & locorum etiam sanis morbos pariunt, docebat Hipp. in lib. 6. epid. cont. 3. Itaquè mutatio aeris grauis est, quemadmodum & aquæ: quinimò grauior fortassè, tanta enim spiritus necessitas est omnibus corporibus cum Hipp. in lib. de flatibus, vt siquidem omnibus alijs abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere: si cui verò spiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat, vt vel hinc quantò vsui spiritus corpori sit liceat æstimare. Si ergo vsui multum est aer animalibus viuentibus quantum igitur melior, eo etiam melius, si peior peius erit, sicuti, & in pestilentijs accidit.

Fit

——————*Fit morbidus aer:*

Atque ea vis omnis morborum pestilitasq.
Concinit Lucretius lib. 6. Septalius in com. quemadmodum, & Guastauinus, non quidem simpliciter aeris mutationem grauem non esse dixisse Aristotelem asseruerunt: sed respectiuè ad aquam, grauior nimirum est mutatio aquæ quàm aeris.

Sed cur mutatio aquæ quam aeris grauior? An quod aqua, inquit Aristoteles, corporibus nostris alimẽto est, quò iam habito complexoque peregrinemur, aer verò nullo se exhibeat alimento? aqua, inquit Aristoteles, nutrit corpora viuentium, aer verò non, propterea mutatio aquæ grauior, quam aeris, quoniam qui mutat aquam mutat alimentum, non autem qui mutat aerem.

Sed circà hanc responsionem, quod aqua nutriat, est magna quæstio? nam communis medicorum sententia est, inquit Valles. 6. controuersiarum medic. & philos. cap. 6. quod aqua non nutriat. Et ab Hippoc. incipiendo omnium antiquissimo medicinæ parente, hic in fine lib. de diæta, humiditas, inquit, alimenti vehiculum est: ergò aqua non alimentum, sed alimenti vehiculum di-

cenda est: vt etiam Erasistratus idem asserebat Plutarco referente lib. 6. symp. cap. 2. Gal. 4. de vsu partium cap. 5. de aqua ita scripsit: Etenim in hoc adhuc vena multo humore tenui, & aqueo plenus est sanguis: neque enim ex ventriculo in venas commodè transumi poterat chylus, iam ex cibis factus, neque facilè transire venas, quæ sunt in hepate, & multæ, & angustæ, nisi tenuis humor, & aqueus fuisset ei admixtus, vt vehiculum. Et tertio de ratione victus acut. com. 17. at quæ, inquit, nullo modo nutriũt, sicuti aqua, quæ virtutem neque summe imbeccillitare neque roborare quidpiam, nisi id aliquandò per accidens habeat, vt idem quarto de simpl. med. cap. 14. Gal. docuit: Aristoteles etiam in lib. de sensu, & sens. aduersus Pythagoreos capit. 4. & 5. demonstrat clarissimis verbis, aquam non nutrire: quoniam neque simplex aliquod elementum potest corpus mixtum nutrire, nam omnia nutriũtur, ex ijs ex quibus sunt, vt lib. 2. de ortu, & interitu text. 50. etiam asseritur.

Sed omittamus authoritates, quod aqua non nutriat, persuadent etiam rationes: omne

ne enim quod nutrit concoquatur necesse est. Quod autem concoquitur crassescit cum Aristotele 4. metheor. 10. sed nullum elementum, præcipuè aqua à colore crassescit: ergò neque concoquitur; cum verò non concoquatur, nequè etiam nutriat necesse est. Quod autem aqua à calore non crassescat res est clara, quia aqua elementum corpus est homogeneum, & dum caloris actionem recipit, vel transmutatur in aliud corpus, & elementum, aut eidem calori cum qualitate contraria resistit. Vndè falsò Aristoteles mutationem aquarum grauiorem esse dixit, ex eo quia aqua nutrit, quoniam aqua non nutrit, vt audiuistis; sed vtrum aqua nutriat nec nè insequenti melius explicabitur.

DISPVTATIO XVII.

MVTATIONEM aquarum grauiorem esse dixit Aristoteles quam aeris, quoniam scilicet aqua nutrit, aer vero non nutrit. Ex quibus verbis dubitabatur in præcedēti disputatione vtrū ve-

rum sit, quod aqua nutriat, atquè pro parte negatiua adduximus multa, quibus tamen omnibus non obstantibus, aquam cum Aristotele vtiquè nutrire dicimus: nam id docuit etiam Hipp. in lib. de victus ratione in morbis acutis, mulsa, inquiens, quam aqua multò potentior est sola epota: multò potentior, inquam, hoc est, multo magis nutrit, quam aqua cum Gal. Depulsibus ad Tyrones cap. 4. idem Gal. aqua asserit omnium, quæ offeruntur, minimum alimentum præbet; & tertio de ratione victus in morbis acutis modicum aquæ propinari vetat ne in bilem conuertatur; Vndè aqua nutrit cum humorũ naturam adipiscatur: Nutrit inquã, sed cũ Vallesio lib. 6. controuers. c. 6. non vt simplex elementum est, verum vt mixtum, & hęterogeneum corpus est: nimirum aqua vel pura est, vel impura, non pura, sed impura nutrit, licet parum cum Olimpiodoro 4. metheor. cap. de concoctione. Non obstant autem, quæ in contrariũ afferebantur: Hipp. enim, Gal. & alij cum, aquam non nutrire asseruerunt, de pura aqua intelligendi sunt; & quatenus etiam de aqua mixta locuti fuerint, cum non nutrire aquam dixerunt, non

quia

quia omninò non nutriat, sed quia parum, intelligendi sunt; omne enim, quod nutrit debet etiam concoqui prius cum Aristotele quarto metheol. 10. & quod concoquitur crassescat etiam necesse est, sed aqua non potest crassescere, ergò aqua non potest nutrire, pro parte negatiua vltimo loco afferebatur. Cui argumento satisfacit eadem responsio superius exhibita: nimirum aqua pura non crassescit, neque concoquitur non autem aqua impura,& heterogenea.

Sed non solum imputa aqua nutrit, at pura nunc amplius dicet aliquis: nam Theofrastus 2. de causis plant. c.7. testatur ali plantas aqua, quæ pura est, & quæ pura est inquit,cum salsæ,amaræ,vel alterius mixtionis aquæ inutiles omnino sint. Aristoteles etiam octauo de hist. animal. cap.2. nonnulla animalia inquit sunt, quæ solo aquæ haustu pascuntur, & viuunt, vt anguillæ: & propterea ij, quibus anguillarum viuaria curæ sunt, sedulò operam dant, vt quam maximè pura sinceraque sit aqua affluens per loca vbi viuaria sunt, nam nisi aqua limpida sit breui tempore strangulantur. Pisces insuper, sardinæ appellati,trichides,aphiç, mugiles, vel

alij,

alij, cum Rondeletio, sola aqua pura viuunt, vt experientia constat. Sed præter experientiã, atquè authoritates superius allatas, fauent huic opinioni etiam rationes; nam mixta ex simplicibus fiunt, inquit Olimpiodorus 4. metheorol. cap. de concoct. ergò aqua vt simplex in mixtum vtiquè transmutari potest, & per consequens nutrire. ijsdem deniquè nutrimur, quibus constamus, sed etiam aqua constamus: ergò etiam aqua nutrimur. Respondetur, & primum ad Theophrasti auctoritatem, plantas nimirum nutriri pura aqua cum dixit Theophrastus, non aquam elementarem intellexisse dicemus, & in primò esse puritatis: sed puram, hoc est alijs elementis non valdè mixtam, cuiusmodi aquæ salsæ dictæ sunt, amaræ, vel alterius mixtionis.

Cum verò secundo loco Aristoteles nonnulla animalia dari inquit, quæ solo aquæ haustu pascuntur, & viuunt, de aqua non elementari, sed nostrate intellexit. Ij insuper, tertio loco arguebatur, quibus viuaria anguillarum curæ sunt, sedulò operam dant, vt quàm maximè pura, sinceraque sit aqua affluens per loca vbi viuaria sunt: nam nisi

aqua

[q]ua limpida sit breui tempore strangulan-
[tu]r. Nihil profectò facit contrà nostram
[se]ntentiam huiusmodi anguillis aquarum
[e]xhibitio, nam limpida aqua ijsdem exhi-
[be]tur, non autem pura, & elementaris.

Pisces prætereà sardinæ, mugiles, & alij
[so]la aqua nutriri mihi non persuadero quid-
[q]uid dicat Rōdeletius, namq. cōpositi com-
[p]ositum alimentum esse debet cum Aristo-
[te]le lib. de somno, & vigilia cap. de sapore,
[&] odore, nequè enim siccum, vel humidum
[so]lum, at siccum, & humidum simul anima-
[l]ibus viuentibus alimento sunt. Mixta ex
[s]implicibus fiunt quinto loco arguebatur;
[e]rgò aqua, vt simplex in mixtum transmu-
[t]atur, distinguo, in mixtum transmutatur, vt
[e]lementum concedo, vt nutrimentum nega-
[t]ur.

Et deniquè ijsdem nutrimur, quibus con-
stamus, sed non simpliciter quibus consta-
mus nutrimur atquè diuisim, sed simul mix-
tis respondetur, & hæc de aqua.

Mutationem verò aquarum grauiorem
esse mutatione aeris, dixit Aristoteles ex eo,
quia aqua corporibus alimento est: aer au-
tem nullo se exhibet alimento. Sed Theo-
phra-

phrastus dicet aliquis in lib. 3. de caussis plant. cap. 14. terram effudi ab agricolis, inquit, quià subingrediatur aer ad radices plantarum, quò posteà nutriuntur: ergò aer vtiquè nutrit: cum etiam Rhynticen, Camaleontem, & alia huiusmodi animalia, solo eodem aere nutriri asseratur à naturalibus scriptoribus, & præcipuè à Plinio lib. 28. cap. 8.

Respondetur, Theophrastum in lib. d. 3. de caussis plantarũ nequaquam dixisse plantas aere nutriri, sed potius ea omnia adnotasse, quæ in plantis alendis requiruntur, vt scilicet nutriantur plantæ, terram ad radices earum effodiendam esse docet; Vel dicemus, plantas aere nutriri, vt alimento remoto, nõ proximo: proximè enim composita sunt, quę pro nutrimento inseruiunt animalibus, non simplicia. Quæ verò de animalib. Rhyntice, Camaleonte, aut alijs referũtur, fabula sunt: videntur enim eadem animalia aere nutriri, quoniam propter paucitatem innati caloris, quẽ habent, parum, & de raro, alimentis vescuntur; cum vesci non obseruentur à pluribus hominibus, ideò etiam à pluribus, aere nutriri dicuntur eadem animalia: quamquam id verum non sit, & præcipuè Camaleon-

ntẽ muſcas venari fuit à pluribus obſer-
um.

Sed denique ſpiritus aere nutriuntur, vt
l. docet lib. 7. de vſu part. cap. 2. & 9. 7. de
atomicis adminiſt. cap. 5. & lib. de vſu re-
at, ergò aer vtiquè nutrit.

Quamuis aerem, Reſpondetur, nutrire
erit Gal. atquè in ſubſtãtia pulmonis præ-
ari, & concoqui, non proprie tamen de
a nutritione intellexit; at nutriri ſpiritus
e dixit, quatenus ab eodem aere recrean
attẽperatur enim ab aere ſpirituum cali-
s, & fuligines cordis, eodem mediante
elluntur. quemadmodum nequè etiam
priè in pulmone concoquitur aer, qui
nde ſpiritus recreat; ſed concoqui dici-
hoc eſt præparatur: nam aer interdum
idus, & expiratione tractus, niſi in pulmo
us attemperaretur atquè aliquali frigi-
te exueretur, cordi cõmunicatus dein-
atquè ſpiritibus noceret. Concoquitur
què hoc eſt præparatur in pulmone attra
aer, non autem vera concoctione perfi-
r.

PRO-

PROBLEMA XIV.

Cur ciborum mutatio minus quam aquæ grauis occurrat? an quia plurimum aquæ consumimus? nam & in pane, & obsonijs & in potu aquæ vsus plurimus est.

DISPVTATIO XVIII.

AQVAE mutationem grauiorem mutatione aeris esse dixit superius Aristoteles in prob. 13. nunc in probl. 14. sequenti nō solum aeris mutatione at mutatione ciborum etiam grauiorem esse dixit; ratio autem est, quoniam plurimum aquæ consumimus; nam & in pane, & obsonijs, & in potu aquæ vsus plurimus est: nimirum nihil assumitur pro alimento, in quo plurimum aquæ non reperiatur: nam panis, quo præcipuè nutriuntur homines confici non potest sinè aquæ magna portione; obsonia eli-

:antur in aqua, in potu aqua, vel aquea
stantia sumitur. nutritio etiam plus aquæ
uirit quam cibi : siquidem nutritio co-
ne alimentorum mediante celebratur;
tio insuper alimentorum est species eli-
ionis cum Aristotele 4. metheor. cap. 4.
atio autem est concoctio à calore humi-
:um Aristotele ibidem, nempè à calore
qua existente. Ergò aqua in maiori co-
:oncurrit ad nutritionem quam ipsè ci-
, cum cibus dum concoquitur in aqua,
neatur, & maior locus locato dicatur ab
totele; & sic cum aqua in maiori quan-
e concurrat ad nutritionem, si mutetur
obesse potest, quam si mutentur cibi, &
rum mutatio minus quam aquæ grauis,
rrit cum Aristotele, vt dictum fuit. Pro-
:a aqua, hoc est sinè qua, asserebat qui-
: nam sinè aqua nullum omnino animal
cum Plin. lib. 11. cap. 38. nec plãtæ ipsę
ıerbæ sinè ea florescunt, aut fructificãt,
ı qua sit seminarium rerum omnium
s, Pindarus Ode 1. olimpior. in princ.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ

na quidem aqua inquit: nam vt scribit
ı Vitruuius lib. 8. cap. 4. nulla ex omni-
bus

bus rebus tantas habere videtur ad vſum rerum neceſſitates, quam aqua, ideò quod omnium animalium natura ſi frumenti fru-ctu priuata fuerit, arbuſtiſquè, aut carne, aut piſcatu, aut etiam qualibet ex his reliquis eſcarum vtendo, poterit tueri vitam, ſinè aqua verò nec corpus animalium, nec vlla cibi virtus, poteſt naſci, nec tueri, nec parari. Ex quibus etiam Feſtus Pompeius, optima quidem aqua aſſerebat, nam aqua amplius docebat Gal. lib. 1. ſimp. medicam. cap. 4. in princ. conuenientiſſima omnibus hominibus, cum ſanis, tum ægrotis, & ad vitam maximè neceſſaria. Iure optimo igitur minus grauem ciborum mutationem eſſe, quam aquæ Ariſtoteles in præſenti probl. aſſeruit.

Sed aqua nõ nutrit aut parum nutrit, nũc dicet aliquis; id enim quod nutrit ſolidum eſſe debet: nam nequè ſiccum, nequè humidum ſolum, ſed ſiccum, & humidum ſimul cum Ariſtotele in lib. de ſomno cap. de ſap. & odore nutriunt, nempè ſolidę ſubſtantiæ, quales cibi ſunt. Itaque mutatio ciborum nõ minus grauis mutatione aquæ, cum in tantum horum mutatio magis, vel minus grauis aſſeratur, in quantum nutriunt; ſed aqua

minus

minus nutrit quam cibus, igitur mutâtio aquæ eſt minus grauis, non autem mutatio ciborum.

Reſpondetur breuiter, quod vtiquè aqua ſubſtantificè, vel materialiter parum nutrit, at diſpoſitiuè omnium maximè nutrit: nempè ad hoc vt alimenta nutritioni corporum diſponantur, multūm, vel magis aquæ requiritur pro ciborum concoctione, quam cibi ipſius, vt ſuperius dicebamus. Aut mutatio aquæ grauior eſt mutatione ciborum dicemus, quoniã cibos mutare facilius eſt quam aquas, cũ maior ſit varietas ciborum quam aquæ: vel deniq. cum magis aſſueti ſint homines mutationi ciborum, quam aquæ, ratione conſuetudinis, quæ altera natura dicebatur ex Gal. in lib. Hipp. de medic. officin. com. 3. text. 20. minus grauis eſt mutatio eorũdũ ciborũ quam aquæ: ab aſſuetis enim non fit paſſio cũ philoſopho, & quæ conſueta ſunt, etſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſtare ſolent cũ Hipp. eodem 2. aph. 50.

Sed minus grauis eſt mutatio cibi quam aquæ, inquit Ariſtoteles, vtrum dicet aliquis quià mutatio horum tamſcilicet aquę, quam ciborum ſit ſemper grauis?

Nequaquam respondetur, tam enim mutatio aquæ, quam cibi, grauis intelligetur cum ad malum est, vel nocere potest, non autem semper: nam si quis ab aqua putei mutetur ad potationem aquæ fontis, huiusmodi mutatio non est grauis. Sed si è contra ab aqua fontis ad putealem aquam se conferat, huiusmodi sanè mutatio grauis est, cum obesse possit. graues igitur mutationes sunt ciborum, & aquæ, quandocumquè ad malum fiant, non autem semper, & ad melius, vt putà si simul, & semel aliquis à ciborum esu bonorum se transferat ad mala alimenta, & à potu salubris aquæ accedat ad insalubris vsum, tunc mutatio ciborum minus grauis quam aquæ docet Aristoteles.

PRO-

PROBLEMA XV.

SEd cur cibi, & aquæ mutatio grauis sit? an quod omnis mutatio etiam temporis, & ætatis motu facilis est: extrema namquè genèris cuiuscumque moueri facilè possunt, quomodo & principia, & fines. ergò & cibi qui inter se distant, corrumpere se inuicem queunt, quippe cum aut nuper, aut non dùm adhæserit qui præcesserat. ad hæc vt varius cibus grauis est, turbulenta enim nec æqualis concoctio eius agitur, sic in ijs accidit qui aquam mutarint, scilicet vt variæ potionis vtantur alimento, estquè id alimenti genus quam siccum valentius: quoniam plurimum est, exquè cibis ipsis non nisi quantum dilutum est vim habet enutriendi.

DISPVTATIO XIX.

POSTEAQVAM docuit in superioribus Aristoteles aquarum mutationem grauiorem esse mutatione aeris,& quorumcumque ciborum , in praesenti quod prae manibus examinandum habemus probl. cur , inquit, genericè loquendo mutationes aquae , & ciborum graues sunt ? atquè duas affert praecipuè rationes . Prima autem ratio est quoniam quaelibet mutationes graues sunt: sicuti exẽpli gratia mutationes aetatum, & temtemporum,vel aliae huiusmodi. Quam autem quaelibet mutationes graues sint , colligit Aristoteles ex eo quià mutatio omnis habet finem atquè principium;finis autem,& principium infirma tempora sunt cum Hipp.in aph. quandò circà initia, & fines omnia imbecilliora dicit , circà statum verò fortiora . Ideo cum in omni mutatione , adsint extrema, nempè principium, & finis, adest etiam aptitudo , seu facilitas ad patiendum . Et sic deniquè cum cibi inter se distent corrumpe-

re

re se inuicem possunt, nam veluti inter se distantes extrema habent, nempè principium, & finem, tempora, vt dicebatur ad patiendum maximè disposita; habent quidem extrema cibi inter se distantes tum quidem ratione cōtrariarum qualitatum quibus pollent, tum etiam ratione temporum: nam vnus cibus antequam alius exhibeatur non dum forta\u017fsè adhæserit nequè concoctus erit, & sic semicocti cibi cum crudis mixti inter se vtiquè distabunt.

Secunda ratio Aristotelis ad probandum quod mutiones ciborũ graues sint, & aquarum, colligitur ab experientia, nam inquit experientia constat quod varius cibus grauis est: turbulenta enim nec æqualis fit ciborum variorum concoctio; sicuti etiam & in ijs accidit, qui aquam mutarint, scilicet cum alimento potionis vario nutriantur: est enim subdit Aristoteles etiam aqua alimenti genus, vt supra dicebatur; quinimmò alimentum valentius quam siccum, scilicet quam cibus, qui siccus est, quoniam plurimum aquæ assumimus; nequè vllum alimentum nisi in quantum dilutum est nutrit: Et hęc sunt quę Aristot. in pręsenti prob. docet.

Circà quæ notandum est primò, quod quandò Aristoteles quærit cur cibi, & aquæ mutatio grauis sit, intelligitur quidem de omni mutatione, sed præcipuè de mutatione in contrarium, & corruptiua appellata, non autem perfectiua, vt superius indicabamus: nimirum intelligit de mutatione ab vno contrario in aliud contrarium: vndè idem Aristoteles ibidem, ergò & cibi inquit, qui inter se distant. Est igitur grauis mutatio ciborum inter se distantium, cuiusmodi exempli gratia, si aliquis aussumat in esca, & vel assumere consueuerit pisces, si ab esu deindè piscium transeat ad esum carnium, hæc profectò mutatio grauis est, vt passim in quibusdam à carne abstemijs quotidiè obseruatur; grauis ergò est mutatio ciborum inter se distantium, & dummodò inter se cibi ijdem distent, & contrarij sint: nam hi tanquam corrumpere se inuicem quærunt, inquit Aristoteles, corruptio autem non fit nisi à contrario, ideò de cibis contrarijs, vt dixi, intelligendum est, nõ autem similibus, quoniam si aliquis sit assuetus carnibus vitulinis, exẽpli gratia, si in eadem specie carnis mutet ad meliorẽ, vtiq. nullã credo noxã recipiet.

Se-

Secundum quod notādum accedit circà, verba problematis præsentis, est quod Aristoteles varium cibum grauem esse dicit quoniam coctio turbulenta celebratur, nec æqualis: sic igitur in ijs accidit qui aquam mutarint: vndè videtur quod de mutatione præcipuè intelligit, quæ in eadem mensa fit, nam turbulenta concoctio nec æqualis celebratur inquit, inæqualitas autem atquè turbulentia, accidunt in cibis, & potibus eiusdem præcipuè mensæ.

Tertio id alimenti genus, nempè aqua, valentius quam siccum est, nempè quam alimentum siccum, scilicet cibus, inquit Aristoteles: Triplex enim genericè loquendo est alimentum per Hipp. lib. de vet. med. videlicet cibus, sorbitio, atquè potus, cibus est substantia sicca, potus humida, sorbitio verò medium quid inter hæc duo dicta; valentius itaquè alimentum est aqua, quam cibus, vt audiuistis per Aristotelem.

Contrà Aristotelem verò dubitabit aliquis, nam Celsus lib. 2. cap. 18. id valentissimum voco, inquit, in quo plurimum alimenti est: sed plus alimenti est in cibo, & alimento sicco, quam in aqua, ergò cibi valen-

tiora sunt alimenta, quam aqua.

Respondetur breuiter; Aristotelem valentius alimentum appellasse aquam, non quidem substantialiter intelligendo, & considerando aquam, quoniam hac ratione vtiquè cibus valentior aqua, sed valentius inquit, hoc est magis valet, & concurrit ad nutritionem aqua, quam cibus, vt in superioribus etiam dicebamus, & maiori etiam cum quantitate; nam aquam potamus, siue aqueam substantiam, aquam requirunt alimenta tanquam vehiculum ipsorum, & deniquè nullum alimentum nutrire, vel in substantiam nutriti conuerti potest, nisi cum aqua mixtum: nam nullum alimentum etiam concoqui potest pro nutritione peragendà, nisi cum aqua, cum cŏcoctio alimenti elixatio quædam sit, atquè elixatio concoctio à calore humido est, per Aristotelem quarto metheorolog. cap. 4.

PRO-

PROBLEMA XVI.

CUr mutationes aquarum faciunt, vt pediculi in quibus haberi possint multi habeantur? An quod humoris cruditas, quam perturbatio illa committit; quæ ex aquæ vario vsu in crebra commutatione redundat, humoris creare copiam potest, præsertim in loco humori opportuniore? cerebrum autem natura humidum est; quare caput maximè perpetuò humet, cuius rei indicium ist, quod pili in hoc potissimum exeunt: huius autem loci vis ad progenerandos pediculos apta est. patet hoc in puerili ætate, caput enim puerorum madet abunde, & sæpè, aut grauedine conflictatur, aut sanguinis profusione, quin etiam pediculos plures illa ætates habere solet.

DI-

DISPVTATIO XX.

VIDEBITVR fortasse alicui problema hoc inutile, & Aristotele indignum, cum parum vel nihil conducat, & res de qua agit sordida, vel fęda sit. sed ex altera parte finis philosophiæ est scire, vt ex dictionibus φίλος hoc est amor, & σοφία hoc est sapientiæ colligitur: neque etiam omnino inutilis est materia de qua in probl. ex Aristotele agitur: nam φθειρίασις siue pedicularis affectio datur, qua interdum laborant, & occidunt homines; cuiusmodi Herodes Ascalonita Rex Iudeæ, fuerunt, Antiochus Epifanes Asiæ Rex, Herodes Antipas, Pheretina Batti filia Cirenorũ Regina, Alcman Poeta Greciæ clarissimus, Pherecides Syrus Pithagore præceptor, & Silla Dictator, de quibus Serenus sic concinit vtrisq.

Sed quis non paueat Pherecidis facta Tragædi.
Qui nimio sudore fluens animalia tetra.
Eduxit turpi miserum quæ morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore peresus.

Cor-

Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci.
Cassander etiā Antipatri filius, Calistenes, Olynthius, Mutius iurisconsultus, Eunus Siculi belli seruilis auctor, Valerius Maximus Cæsar, Speusippus Eurimedontis filius, & Philosophus Atheniensis, Pleminius legatus à Scipione Locris præfectus, Iulianus Iuliani Apostatæ auunculus, Honorius Vandalorum Rex Arrianus, Arnolfus Septimus à Carolo Magno Imperator, Radbert⁹ proiecti Episcopi occisor, Fulcherus Noriomagēsis Episcopus in Gallia, Leostanus adolescens, Alpindus Dodones, Lambertus Constantiensis Episcopus, Clemens Septimus, Napus Turrianus Mediolanensium Tyrannus, & alij huiusmodi à pediculis interfecti fuere, vt melius Aldrouandus recenset lib. 3. de insectis cap. 4. Vndè iure meritò Aristoteles, nequè inutiliter de pediculis etiam hoc constituit problema, vt dicebamus.

Pediculus autem latinum nomen est, à pede deductum cum Isiodoro, quatenus nempè huiusmodi animal ad differentiam pulicis, cimis, & aliorum similium multis pedibus vigeat: grecè verò appellatur φθεὶρ ex verbo φθείρω, quod corrumpere cum Gal. significat

cat

cat l. de theria. ad Pisō. c. 18. nimirū hoc fędū animal ex corruptione oriatur, nam causas φθειρίασις, siuè pedicularis morbi indagando doctores, inter cæteras corruptiones esse affirmant: quemadmodum Aristoteles, & Theophrastus: Aristoteles enim lib. 5. de hist. anim. cap. 31. pediculos ex carne gigni existimat: Theophrastus verò lib. 2. de caussis plant. cap. 22. ex sanguine putrido; quas ambò sententias Mercurialis refellit lib. 1. de morbis cutan. cap. 7. licet alibi, nempè secundo variarum lect. cap. 4. non omninò reijciat. Causę inquam pediculorum plures sunt, præcipua verò iuxta om̃es medicinæ doctores est ipsa corruptio, & nemini dubiū est: sed cuius nam sit corruptio in hoc est aliqua quæstio. Pro cuius quidem quæstionis enodatione sciendum est, quod pediculus interdum generatur intrà substantiam corporis, interdum verò extrà. Intra corpus quibus futuri sunt, inquit Aristoteles 1. de hist. animal. cap. 31. emergunt ceù pustulæ quædam sinè pure, exiguæ, quas si pungas pediculi exeunt, & his præcipuè pediculis Lucius Sylla perijt cui vt recenset Plutharcus in vita, totum corpus putrefactum est, &

in

in pediculos versum, vt cum multi interdiù noctuq. tollerent eos, nulla parte potuerit tamen, quod reijciebatur, æquare illud succedebat, verum omnes vestes, pallium, pallubrum illo repleretur fluxu, & tabe, adeò suppululabat: ideò bis die ingrediebatur balneum, abluens, & abstergens corpus: cæterum nihil proficiebat superabatque copia omnem purgationem. Pausanias in Boeoticis, Sylla quidem scribit multa in Athenienses crudelia admisit facinora, & à Romanorum more aliena. Dissimiliaquè non fuerũt, quæ in Thebanos, & Orchomenios fecit. Quibus, & addidit, quod illud ipsum quod Alchomenis fuit Mineruæ signum erupit. hunc hominem qui Græcorum ciuitates, & Patrios Deos tam furenter vexarat, morbus omnium deterrimus oppressit, pediculis è toto corpore erumpentibus, huc pristina hominis felicitas recidit. Interdum verò generatur pediculus extrà corpus dicebamus, cuiusmodi in pueris exempli gratia, & mulieribus maximè reperiũtur. Hac vero nunc posita distinctione pediculus intra substantiam viuentis cum generatur vtiquè cum Aristotele ex carne vt superius audiuistis,
vel

vel ex eiusdem sanguine cum Theophrasto proficisci dicerem; pediculus verò extrà substantiam viuentis genitus, nequè ex carne, neque ex sanguine immediate, at ab excrementis accidit tertiæ, & vltimæ concoctionis putrefactis, non acribus, sed dulcibus potius, & humidis cum aliquo calore, vt Gal. docuit primo de compositione medicamentorum secundum loca cap. 7. nec non etiam Auicenna lib. 4. fen. 7. tract. 3. cap. 26. & de his præcipuè pediculis nunc loquitur Aristoteles quandò, Cur inquit mutationes aquarum faciunt vt pediculi in quibus haberi possint multi habeantur? An quod humoris cruditas, respondet Aristoteles, quam perturbatio illa committit, quæ ex aquæ vario vsu in crebra commutatione redũdat, humoris creare copiam potest? nimirũ audiuistis superius in alijs problematibus, ideò aquarum mutationes facere morbos, quoniam mutatio variarum aquarum perturbat: perturbatio autem facit cruditatem impediendo concoctionem, à cruditate oritur deindè corruptio, à corruptione deniquè oriuntur pediculi, præsertim verò in loco humori opportuniore; cuiusmodi caput

est

est quod perpetuò humet propter cerebrum quod in se cõtinet natura humidũ. quod aũt caput perpetuò humeat indicium est quod pili in hoc etiam potissimum exeunt; qui amplius pili vim augent ad generatione m pediculorum, vt patet in puerili ætate, caput enim puerorum madet abundè, & aut grauedine conflictatur, aut sanguinis profusione: quin etiam pediculos plures illa ætas habere solet. Et hæc sunt quæ in problemate de pediculis habet Aristoteles.

DISPVTATIO XXI.

EX dictis superius de pediculus in probl. & alibi variæ nunc occurrunt examinandæ dubitationes. & primò pediculorum causam indagando præcipuè, corruptionem esse dicebamus, corruptionem inquam carnis, & sanguinis in ijs qui intrà substantiam, excrementorum verò tertiæ, & vltimæ coctionis in illis qui extrà generantur pediculis. Contrà quam conclusionem videtur insurgere Aristoteles 3. de gener. animaliium cap. 11. vbi putrefactio nihil producere potest inquit:

quit : ergò nequè corruptio pediculorum causa appellanda est.

Secundò si humiditas, quæ redundat in tertia,& vltima concoctione esset causa materialis pediculorum,vt dicebatur:ergo animalia, quantò magis humida, tantò magis etiam pediculis abundarent, ac tamen multa reperiũtur animalia, quæ tametsi humida pediculis carẽt,vel minus abũdãt,cuiusmodi pisces sunt,& alia similia viuẽtia humida.

Tertio si excrementum humidum esset causa materialis pediculorum, sequeretur quod alimẽta humidiora,feraciora etiã essẽt in pediculrũ generatione:cum tamen è cõtra caricæ siuè ficus siccæ pedicuculos magis producant, quam virides,& recentes, ex Gal. 2. de alimentorum facultatibus cap.8.

Quarto post febres, vel in fine earundem multi nascuntur interdum pediculi quanquam ægri febrientes sicciores sint. Igitur non ab humido semper pediculi fiunt.

Respondetur, & primo ad primam difficultatem. Putrefactio nimirum vt putrefactio est atque per se, vtique cum Aristotele nihil producit: nam putrefactio cum Aristotele quarto metheor. est corruptio, & quid de-

destructiuum non autem compositiuum. Vt verò non per se, sed per accidens considerata putrefactio eadem, est causa vtique pediculorum: nimirum corrumpẽdo præbet materiam nouę pediculorum generationi, vndè & animalia fiunt in ijs quę putrescunt quarto methor. cap. 2. idem asserebat Aristoteles: propterea quod quæ segregatur caliditas, adhuc naturalis existens, consistere facit segregata: nimirum calor ille naturalis qui in putrefactione corrumpitur cum Nipho in com. adhuc naturalis existens consistere facit segregata, & animalia generantur. adhuc inquam calor naturalis existens, ego dicerem, non respectu mixti putrescentis, at respectu animalis quod generatur intelligẽdum est (& sic animalia prout generantur à calore proportionato, à naturali calore generati in putrefactione, prout verò idem calor consideratur quatenus est in mixto putrescente, à præternaturali dicendũ est, quod sæpe quæritur, & dubitatur apud Philosophos) sed animalia ex putrefactione generari, inquit Aristoteles, animalia inquam nõ perfecta at imperfecta intelligenda sunt, cuiusmodi cimices sunt, pulices, pediculi, &

alia similia,nam pulices,inquit idem Aristoteles 5. de hist. anim. cap. 31. minima quadam putredine gignuntur, sedemquè sui ortus sordes obtinent aridas. Cimices ex humore qui per summa corporis animalium consistit, pediculi verò ex carne, vel ex sanguine cum Theophra. aut ab excrementis tertiæ,& vltimæ coctionis cum Gal.& Auic. in superioribus allatis. Sed amplius refert Appollonius in lib. mirabilium historiarum, sentētiam fuisse Aristotelis quod in illis, qui iam iam mortui sunt, pediculi deserunt capita, atque in puluinaribus reperiūtur, quod vtiquè non accideret, si ex putrefactione ijdem orirentur pediculi, cum propè mortem magis corrumpantur corpora quam anteà, vnde in eodem tempore magis quoquè generari deberent ijdem pediculi, non autem capita hominum deserere, vt ab Appollonio refertur. Itaquè non putrefactio, aut corruptio est causa præcipua generationis pediculorum, quamquam Ioannes Riolanus lib. 2.meth.med.particul.sect.2.cap.de pediculis,nam obseruaui,inquit,non semel instante morte syntecticum sudorem totum in pediculos conuersum fuisse.

Decer-

Decernit profectò hanc quæstionem, & omnem prorsus dubitationem aufert Alex. 2. probl. 3. ideò asserens pediculos morituris deserere capita, vel alias partes, quoniam ijdem pediculi indigent quodam tepore ad viuendum, vel vitam putrocinandam ipsorum, atque etiam succo sanguineo, & dulci, quibus cum destituantur in morituris corpora (nam frigida mors, inquit Poeta) pediculi etiam de facilè aliò proficiscuntur, tametsi putrefactio in morituris adaugeatur.

Secundo si humiditas arguebatur, quæ redundat in tertia, & vltima coctione esset causa materialis pediculorum, sequeretur quod animalia quanto magis humida tantò magis etiam pediculis plena essent, cum tamen è contra pisces, & alia huiusmodi animalia pediculis careant, vel minus abundēt.

Respondetur, & primo cum Aristotele loco sup. cit. 5. de hist. anim. cap. 31. etiam pisces habēt pediculos, quamquam non eiusdem generis cum pediculis quadrupedum, neque in ijsdem piscibus gignantur; nam in mari, inquit Aristoteles, etiam pisces hoc malum infestat, verum non in piscibus ipsis, sed limo gignitur simile multipedibus asel-

lis. Deinde humiditas non omnis responde-
tur est causa corruptionis pediculorumquè
generationis, at humiditas calida; nempè ca
lor in humido, vel humida natura atquè ca-
lida corrumpitur, & pediculos generat, quo-
modo non est humiditas piscium, quæ & per
se calore non pollet, & ratione loci a frigore
aquæ vbi pisces degunt corruptio pediculo-
rum causa prohibetur: & in frigoribus enim,
sicuti in æstu non putrescunt corpora, nequè
in hyeme, nequè quod congelatum est, aut
valde frigidum, Aristoteles 4. methcor. c. 2.
asserebat.

Tertio si excrementum humidum esset
causa pediculorum, sequeretur quod alimē-
ta humida magis generarent pediculos quā
sicca, cum tamen è contrà caricæ eosdem
magis generent quam ficus recentes, vt su-
perioribus ex Gal. dicebatur.

Respondetur, quod non omne humidum
aptum est ad corruptionem, atquè ad pedi-
culorum generationem, sed humidum cras-
sum: nam dum fit generatio animalis debet
præcedere concoctio illius materiei ex qua
animal deducitur: concoctio autem incras-
sando fit: ideò etiam caricæ cum præbeant
ex-

excreméta humida, & viscosa magis, quam recentes ficus, ad pediculorum generationem quam his magis etiam aptę sunt. Pręterea caricæ pituitosum, & crassum sanguinem præbent, qui facilè in putredinem abit, cum ægrè peruadat aluum, vndè etiam ad pediculorum generationem maximè aptæ sunt: & hac ratione vt ait Gal. caricis antiqui in mensa cum sale vescebantur, ad prohibendam scilicet futuram ex ijsdem putredinem.

Vltimò loco post febres, arguebatur, multi nascuntur pediculi, quamquam exiccati ægrotantes sint. ergò non ab humido materialiter ijdem proficiscuntur. Respondetur etiam in his ab humido pediculos fieri: nam humores qui prius intrà vasa ægrorum caussa febris erant, foras transmissi, sunt deindè generationis pediculorum fons, & origo: quinimò pluries in febre ipsa obseruaui, quod dum copia pediculorum accessit, finis morbi fuit: nimirum ab euacuatione humorum intra vasa capitis stabulantium, atquè putrefactorum, crysis, vel morbi iudicatio accidit; & propterea Aristoteles in eodem 5. de hist. anim. cap. 31. remedij loco interdum pediculi sunt asserebat.

PROBLEMA XVII.

CUr à Virgiliarum occasu, ad fauonij vsquè flatus, hi potissimum pereant qui morbo longo laborant, & senes quam Iuuenes potius? Vtrum summæ illæ intereundi causæ duæ adsint frigus atquè excessus? vita enim calore fouetur seruaturquè, tempus autem istud ambo illa sortitur: frigidum enim, & hyems tum acerrimè vrget, subsequens enim ver est, an quod qui vitijs laborant diuturnis non secus, ac senes affecti sunt? longus etenim morbus, quasi senecta iam adesse videtur; ea namquè corpora sicca, & frigida sunt: altera scilicet ob ætatem, altera ob languorem: hyemem verò, & gelu, frigoris atquè siccitatis esse ex-

ces-

cessionem certum est. quare sit, vt cum, vel paruo momento corpora pateant, hyemis rigor quasi ignis igni iniungatur, atque ità interimat.

DISPVTATIO XXII.

VIRGILIAE, fama & opinione vulgi, septem stellæ sũt, inquit Aratus, quãquam sex tantum conspiciantur: dicuntur autem ita latinè quoniam circà initium veris matutino tempore conspiciuntur: Vndè Cicero in lib. de nat. Deor. Vergilias, inquit, tenui tum luce videbis. græcè huiusmodi sydera appellantur πλειαδες, ex dictione πλεω, quæ nauigationem significat, quod suo ortu scilicet primæ nauigationis tempus eædem ostendant, ex quo Propertius lib. 1.

Et sit iners tardis nauta Vergilijs.

Higinius in Poet. Astronom. inter finitionem Tauri, & caudam Arietis Vergilias ponit: alij in dorso voluerunt: Plin. verò cap. 41. lib. 2. in cauda Tauri easdem inesse, inquit:

ficuti Atheneus lib. 11. ὀρίας Pindarus vocat, tanquam ὀρίας, quod in Tauri cauda, inquit, sitæ sint. Circà has stellas multa fabulantur; nam ferunt nonnuli Athalantis filias septem ex Plione Nimpha fuisse, cum qua Iuppiter concubuit, Vndè, & Pleiades dictæ quasi πλείονες; idest plures, quod nunquam videlicet singulæ appareant, sed omnes simul pręter Meropea quæ vix apparet. Pherecides tradit septem sorores fuisse Licurgi filias ex Naxo Insula, & quia Liberum patrem educauerunt, ab Ioue inter sydera fuisse relatas: harum insuper nomina putantur Electra, Alcione, Cæleno, Maia, Asterope, Taygete, Merope, quarum septima vix cerni potest, cuius causam asserunt, quod cum reliquæ sorores Dijs nupsissent, sola Merope mortali viro Sisypho nupserit, quam ob causam veluti pudibunda latitet. Alij putant hanc esse Electram, & id circò obscuriorem videri, quod excidium Troianum spectare non potuerit, sed oculis manum opposuerit. Vnde Ouid. lib. 4 fast.

Pleiades incipient humeros releuare paternos.
Quę septem dici, sex tamen esse solent.

Ple-

Pleiades etiam dicuntur septem Poetæ famosissimi iuxtà Isacium Cęcum in Lycophr. com. nempè Theocritus, Aratus, Nicander, Appol. Homerus Tragicus, Andromaches Bizantius. Sed de fabulis quidquid sit, cur à Virgilijs ad fauonij vsquè tempus, inquit Aristoteles in problem? Et primo sciendum est à Vergilijs verba intelligi ab occasu Vergiliarum secundum communem interpretationem, nam oriuntur, & occidunt Vergiliæ, vt superius audiuistis, scilicet interdum prospiciuntur cum oriente ; interdum vero cum occidente sole (id enim occidere, & oriri intelligitur in stellis) oriuntur inquam, & occidunt Vergiliæ: oriuntur autem 6. idus Maij, 3. idus Nouembris occidunt cum Plin. lib. 1. cap. 47. & lib. 18. cap. 26. licet secundum Cardanum in lib. de aere aquis, & locis, super tex. 12. lect. 64. nunc serius oriantur, & occidant. oriuntur, inquit, duodecima Iunij, & ortus terminatur trigesima: occidunt autem decimatertia nouembris, atque occasus vigesimatertia terminatur, & in ortu earundem incipit æstas, in occasu verò hyems inchoat, vt alibi superius dicebamus.

Cur

Cur igitur à Vergilijs, hoc est ab occasu Vergiliarum, & à principio hyemis, ad fauonij vsquè flatus, inquit Aristoteles in probl.? Et quidem fauonius ventus est tepidus, & siccus, ab occasu æquinoctiali spirans contrà Eurum siuè subsolanum cum Plin. lib. 2. natural. cap. 47. & Aulo Gellio lib. 2. c. 23. latinum nomen est à fouendo, cum suo tepore cuncta foueat, est enim genitalis mundi spiritus: Vndè Cicero in Acad. Mare, inquit, fauonio nascente purpureum videtur. Dicitur græcè ζέφυρος idest vitam ferens, aut ea quæ ad vitam attinent, cum eo flante terra hyemali frigore constricta aperiatur, ac plantæ omnes germinare incipiant: Ver ergò, inquit Plin. lib. 2. cap. 47. aperit nauigantibus maria, cuius in principio Hibernũ molliunt Cælum, sole aquarij vigesimamquintam obtinente partem; is dies sextus est antè Februarios idus. competit fermè, & hoc omnibus quos deinde pænam per singulas intercalationes vno die anticipantibus, rusumque lustro sequenti ordinem seruantibus. Fauonium quidam ad vij. calend. Martij chelidoniam vocant ab hyrudinis viso: nonnulli verò Ornithiam vno, &

septua-

septuagesimo die post brumam ab aduentu auium flante per dies nouem. Sed de nomine quidquid sit, cur inquit Aristoteles à Vergiliarum occasu, nempè à die decimatertia nouembris, ad fauonij vsquè flatus, nempè ad æquinoctium vernum circiter, hi potissimum pereant, qui morbo longo laborant, & senes quam iuuenes potius? An summæ illæ intereundi causæ duæ adsint frigus, & excessus? vita per calidum est, inquit Aristoteles: & sanitas in moderatione consistit, vt superius alibi docuit. Sed sic est quod à Vergiliarum occasu, ad fauonij vsquè flatus, nequè calor, nequè moderatio in aere consistit. Ergo à Pleiadum occasu vsquè ad fauonij flatus maximè pereunt, qui morbo lõgo laborant. Quod autem calor non adsit in dicto tempore, constat experientia, quià frigus est, nequè etiam moderantia, nam excessus frigoris tunc etiam temporis est: vndè propterea moriuntur qui morbo longo laborant. moriuntur etiam alia ratione, subdit Aristoteles, in dicto tempore qui vitijs afficiuntur diuturnis; nam huiusmodi, inquit, non secus, ac senes affecti sunt: longus etenim morbus quasi senectus est, & corpo-

ra horum frigida,& ſicca ſunt. Ideò à frigido,& ſicco, quibus hyems tunc in exceſſu pollet, afficiuntur, & occidunt ſæpè ſæpius: dum etenim prædictorum ægrorum corporibus frigidis, & ſiccis adiungitur intemperies frigida,& ſicca hyemis, videtur addi, inquit Ariſtoteles, veluti ignis igni, veluti mors morti dici etiam poſſet, quià frigida,& ſicca mors eſt cum Ariſtotele in lib. de cauſ. longitud.& breuitatis vitæ.

Sed ab occaſu Vergiliarum ad fauonij vſque flatus interire illos, qui potiſſimum morbo longo laborant eſto, at quià hyems frigida, & ſicca eſt in hoc difficultas oritur: nam hyems frigidum, & humidum tempus eſt, ſicuti æſtas è contra calidum,& ſiccum.

Secũdo in vniuerſum ſiccitates imbribus ſalubriores, inquit Hipp. 3. aphor. 15. ergò quià hyems frigidum, & ſiccum tempus eſt, non propterea ægri interire deberent.

Reſpondetur, & primo ad primam dubitationem; hyemem ſcilicet natura ſua eſſe humidam, ſed ab occaſu Vergiliarum ad fauonios vſq; eſſe ſiccam: non quidem ſiccam per ſe, at per accidens, nempè gelu,& Borea mediantibus: gelu etenim conſtringitur aer, & ſic-

& ſiccum tempus euadit: gelu etiam Borea mediante celebratur, quod ab occaſu Vergiliarum ad fauonios vſq; flare ſolet, atq; Boreas idem frigidus ventus ſit atque ſiccus; ideò, & frigida hyems tunc etiam temporis ſit atque ſicca neceſſe eſt. Vel etiam propter Boreales ventos hyemem frigidam, & ſiccam dicemus, non quidem intrinſecè, at in extrinſecis, & ambiente potiſſimum, à quo ſicco ambiente hi præcipuè offenduntur, qui morbo longo laborant, cum Ariſtotele; vel deniquè hyemem ſiccam intellexit Ariſtoteles reſpectu humiditatis naturalis, quià ſcilicet in hyeme multum viget excrementitiæ, ac præternaturalis.

Secundo in vniuerſum ſiccitates imbribus ſalubriores, afferebatur Hipp. ſententia, ſed generalis eſt huiuſmodi aph. atquè in ordine ad imbres potiſſimum, non autem in ordine ad hoc vel illud particulare ſubiectũ ſiccum, aridum, & huiuſmodi.

PRO-

PROBLEMA XVIII.

CVr in plenis impurisquè corporibus, vlcera capitis non magno negotio sanentur, tibiarum autem ægrè? An humor eorum quia terreus grauis est? graue autem omne deorsum tendit: ergò superiora curari facilè possunt, quoniam seorsum humor decesserit, inferiora propterea nequeunt quod admodum excrescant, & putredini pateant.

DISPVTATIO XXIII.

NON de corporibus sermo est hic Aristoteli in palustribus, & humidis locis degentibus solum, at de corporibus plenis, & impuris vbicumquè existentibus, quidquid 6. probl. 14. legatur: nempè de corporibus cachochimis, in quibus vlcera

ra capitis, ſiuè in ſuperioribus partibus non magno negotio ſanantur, tibiarum verò, & infrà ægrè. quærit huius rei in præſenti rationem Ariſtoteles, & an, inquit, humor eorum, qui pleni, & impuri ſunt, quia terreus grauis eſt: graue autem omne deorſum tendit? ergò ſuperiora curari vlcera facilè poſſunt, quoniam deorſum etiam decidit humor: inferiora verò nequeant, quod admodum excreſcant, & putredini pateant.

Et quidem vlcus ἕλκος græcè, vt inquit Gal. lib. de conſt. artis medic. propriè eſt vnitatis ſolutio in quacumquè parte ex eroſione præter eam quę in oſſe fit, & τερηδὸν appellatur, ſiue caries: in lib. vero meth. med. & 1. de diff. morborum, hanc definitionem reſtringendo non in quacumquè parte, at in carne ſolum vnitatis ſolutionem ex eroſione vlcus eſſe inquit, cum putrefactione, & ſanioſitate, vt addit Auic. lib. 1. fen. 2. doct. 1. cap. 5. vndè etiam, vlcera carnis calamitates, & vitia dicuntur ex Hipp. lib. de medico. Cum ergò vlcus vitium ex eroſione: eroſio autem non poteſt fieri niſi ab humore acri, humor autem acris in tantum eſt acris in quantum eſt terreus: propterea Ariſtoteles

les in cachochimis vlcera in tibijs ægrè sa-
natur, inquit, quoniam terreo, & acri humo-
re scatent à quibus vlcera eadem fiunt.
quod autem vlcus semper fiat ab humore
acri, ac terreo, res est clara, nam causæ ipsius
vlceris cum Auic. lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap.
17. reducuntur ad tria capita potissimum,
nempè, vel est apostema causa vlceris, aut
pustula, vel vulnus malè curatum, & sanio-
sum. Sed hæc omnia in tantum nocent in
quantum terreos humores in se continent.
ergò humor terreus est qui vlcera facit, &
in esse ponit. Quod etiam cachochimi ter-
reo humore, & acri scateant, res item clara
est, quoniam cachochimia est abundantia
humoris corrupti, sed humor cum corrum-
pitur euadit terreus. ergò cachochima cor-
pora humore terreo maximè abūdant. Dum
verò corrumpitur humor, naturam terream
acquirere docuit Aristoteles 4. metheorol.
cap. 2. putrefactio inquiens est corruptio na-
tiuæ caliditatis in humido, & quecumquè
putrescunt sicciora fiunt atquè tandem ter-
ra, & fimus euadunt: terreos igitur humores
habent cachochimi, qui deindè humores in
inferiora labentes, vlceribus continuò ma-
te-

teriam suppeditando nocent,& sic ægrè postremò eadem vlcera inferiorum sanantur, vt inquit in probl. Aristoteles: quemadmodum vlcera, quæ in capite sunt non magno negotio: cum etiam ex Aponense tria alia concurrant ad horum capitis vlcerum sanationem, nempè quià caput ex[illegible]tur per alias vias veluti futuræ sunt, aures, nasus, oculi, os: quià etiam excrementa, quæ in capite remanent sunt magis apta, vt in saniem vertantur, & tertio calor in vlceribus capitis remanens fortior est, atquè ad concoctionem magis aptus, & proportionatus.

Sed de his Aponensis rationibus quidquid sit; nam dictis Aristotelis in probl. neque etiam valdè proportionata videntur, vt optimè in com. adnotauit Septalius. Vtrum dicet aliquis in impuris atquè plenis corporibus, humores terrei sint? plures sunt humores à quibus corpora impura redduntur scilicet pituita, bilis, atrabilis. æstò quod bilis atra sit terreus humor, sed tamen bilis repletio, & corpus bile impurum non potest dici terreum, vndè malè dicebatur, impura, & plena corpora terreos humores habere; dictio enim plena, nō magis de terreis quam

aqueis humoribus, vel biliosis intelligitur.

Secundo morbi omnes sunt vlcera, inquit Hipp. in li. de fract. παντα τα νοσήματα έλκεα εἶναι græcè, Ergò si vlcera à terreo, & acri humore solum proficiscũtur, sequitur etiam quod omnes morbi ab eodem quoquè humore oriantur, contrà communem philosophorum, & medicorum omnium sententiam.

Respondetur, & primo ad primum argumentum, quamquam problema, impura corpora, & plena genericè dicat, nihilominus de impuris corporibus intelligi debet, quæ plena sunt; quemadmodum cachettici talia corpora habent. Aut melius non de repletione est hic sermo Aristoteli vasorum solummodò, sed de repletione partium solidarum, cum impuritate humorum; bilis autem non facit repletionem nisi vasorum, non autem partium, quod verò facit repletionem partium solidarum cum impuritate est humor terreus; dixi cum impuritate, nam partes corporis solidæ interdum possunt esse plenæ, & puræ. Et de hac repletione vt dixi intelligit in præsenti Aristoteles, nempè de partium solidarum repletione,

quæ

quæ extenuationi cõtrariatur; de qua etiam repletione loquens Hipp.2.aph.10.facilius, inquit, est repleri potu, quã cibis ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίου atque Celsus lib.1.cap. 3. tenuis, homo, inquit, implere se debet, plenus extenuare. Quod autem impuram partium solidarum repletionem faciat solummodò humor terreus, aut saltem hic ad eandem semper concurrat, constat ex dictis in superioribus, nam impuram repletionem faciunt humores impuri, siuè putridi, humores verò putridi terrei sunt, sicciora etenim fiunt omnia quæ putrescunt, atquè tandem terra, & fimus euadunt cum Aristotele 4. metheorol.cap.2.

Secundo afferebatur in cõtrarium textus Hipp. in lib. de fracturis, vbi vlcera morbi omnes sunt legitur. Morbi omnes, respondetur, genericè loquendo, nimirum ex triplici morborum genere componuntur, intemperie, vnitatis solutione, & mala corporis compositione: aut vlcera morbi omnes dicemus, quatenus potentia omnes morbos in se habeant, aut deniquè omnium morborum comites esse possint.

PROBLEMA XIX.

CVr si post hyemem aquiloniam, & ver austrinum, ac pluuium, æstas sicca admodum fuit, perniciosus omnibus Autumnus accèdat, & pueris præsertim? nam, & cæteris difficultates intestinorum, febresquè quartanæ, longæ, eo tempore solent euenire. An quòd si aqua mediocris per æstatem incessit quantum humoris collectum est per ver humidum in nostris corporibus refrigeratum quiescit? sed si non ita contingit, pueri qui suapte natura humidi, & calidi sunt, vehementer eò feruescunt affectu, quoniam refrigerati minimè fuerint, & si per æstatem restiterint autumno certè, quorum humor vltra modum ferbuerit corripientur. excrementa verò nisi confestim pere-

peremerint, orta videlicet circa pulmonem, atquè arteriam, supra enim primum consistunt eo scilicet, quod aeris tepori nostra corpora pateant: hinc, enim, lippitudines quoquè prægressis febribus in graui æstate sequi consueuerunt. ergò si non locis superioribus excrementa humorum exorsa, vt dictum est, protinus interemerint, descendent cruda ad ventrem, atquè ita difficultatem créabunt intestinorum, at si præ nimia sui copia humor excerni nequiuerit quartana ijs orietur, qui euadere mortem potuerunt etiam si illud intestinorum vitium omninò quieuerit, quod non crudi humoris subterſedit. stabile firmumque vehementer, modo atra bilis adhæret.

DISPVTATIO XXIV.

SVPERIORIBVS Aristoteles in probl. 8. 9. 10. 11. & 12. egit de constitutionibus non naturalibus temporum anni, & quid etiam ad easdem sequatur docuit: nempè quos morbos expectare debeamus in æstate ab hyeme boreali, & vere austrino: quos alios ab hyeme austrina, & vere boreali, quos etiam ab hyeme si æstas sicca, & aquilonia fuerit, autumnus verò humidus, & austrinus: quos, si æstas sicca, & siccus deniquè autumnus: nunc ad easdem constitutiones non naturales redeundo, quid ab hyeme aquilonia, vere austrino, ac pluuio, & æstate admodum sicca in autumno expectandum docet: & ab his inquam constitutionibus, autumnus, inquit, prauus omnibus accedet, atquè pueris præsertim: nam cæteris difficultates intestinorum, febresquè quartanæ l ngæ eo tempore, venire solent. Ratio autē horum est, quoniam dum aqua per æstatem mediocris incessit, quantum humoris collectum est, per ver humidum in nostris corpo-

ribus

ribus refrigeratum quiescit: sed si non ità contingit, pueri qui suaptè natura humidi, & calidi sunt, vehementer eò ferueſcunt affectu, quoniam refrigerati minimè fuerint: & si per æstatem restiterint, autumno certè quorum humor vltrà modum ferbuerit corripientur. Adduximus in superioribus dum probl. octauum examinabamus Hipp. locum de aere aquis, & locis, vbi siquidem circà canis exortum loquebatur, accedat aqua, ac tempestas, & æthesiæ spirarint, spes est cessationis, & autumnus salubris fiat: sin minus periculum est ne, & pueri, & mulieres moriantur, minimè verò senes, & qui superstites erunt in quartanas desinent, atquè ab his in hidropes. Ratio autem cur pluuia, & tempestas, atquè æthesiæ circà canis exortum sint causa, vt autumnus salubris fiat, sin minus morbi dicti oriā ur, est illa eadem quam ex Aristotele in hoc probl. superius adduximus; pluuiæ nimirum, atquè æthesiæ circà canis exortum sua frigiditate qua pollent refrigerant, atquè contemperant calores æstatis, augumentumq; caloris prohibent in illis humiditatibus, quas hominum corpora ex vere pluuioso, & austrino anteà recepe-

runt. Sed difficultas est, cur in præsenti problem. autumnum pueris solum perniciosum fore dicat Aristoteles; Hipp. verò etiam mulieribus?

Secundo cum morbi dicti in autumno oriantur ab humiditatibus in æstate valdè calefactis, quas amplius humiditates ver humidum corporibus exhibuit; ad quid igitur inseruit hyems aquilonia, quæ præcessit?

Tertio æstas natura sua sicca est. ergò non potest esse causa generationis morborum, cũ ijdem à causa præternaturali oriantur, non autem naturali; & morbus affectus præter naturam sit primò, & per se lædens actiones cum Gal. in lib. 2. de naturalibus facultatibus. cap. vltimo.

Quarto si æstas sicca valdè est, inquit in probl. præsenti Aristoteles. Igitur non quià humores calefiunt prædicti morbi enascuntur, at quià exiccantur dicet aliquis.

Quintò cæteris verò difficultates intestinorum, & febres quartanę longæ eo tempore fiunt, inquit Aristoteles, cur huiusmodi accidant?

Respondetur, & primo ad primam difficultatem ideò quidem puerorum solummodò

dò meminisse in pręsenti probl. Aristotelem, non autem fęminarum etiam, quoniam ęstas vt valdè calida nocens consideratur: ideò pueri tanquam natura calidi in prædicta constitutione, inquit, magis etiam afficiuntur. Hipp. verò dum fęminarum quoquè meminit, considerabat æstatem non vt calidam solum nocentem, at secum humiditatem veris præcedentis habētem: cum verò etiam fæminæ humidæ sint natura sua; propterea de fæminis etiam mentionem habuit. vel melius, puerorum meminit Aristoteles in præsenti probl. quoniam pueri duplici ratiotine concurrunt ad generationem morborum in prædicta constitutione, & ratione caloris scilicet, nec nō etiam humiditatis, cum pueri calidi, & sicci sint natura propria, quamquam in eodem tempore, & fæminæ, & alij natura humidi præcipuè afficiantur cum Hipp. in lib. de aere aquis, & locis, necnon etiam 3. aph. 11.

Secundo quamquam humiditas veris præternaturalis, nec non etiam caliditas ingens æstatis sequentis præcipuè sint in causa prædictorum morborum cum Philotheo in com. aph. 11. tertiæ sectionis, ideò dicam

hye-

hyemis borealis etiam meminisse Aristotelem, quoniam, & hæc etiam constitutio requiritur ad eosdem morbos generandos: nam constitutio frigida, & sicca hyemis quę præcedit, potentias destruit; posteà ver adueniens calidum, & humidum materiæ frisionem facit, & humidam suo superfluo humore reddit: deindè æstas superueniens calida, & sicca humiditatem inueniens in corruptionem trahit, atquè præcipuè autumno, quo tẽpore humores vltra modum ferbuerint, vt verbis met Aristotelis vtar.

Tertio æstas natura sua sicca est. Ergo vt sicca non potest esse causa generationis morborum dicebatur. Respondetur quod Aristoteles si valdè sicca est æstas, inquit. Vndè de æstatis temperamento præternaturali hic intelligendum est, non autem de sicço naturali. Et hæc satis in præsenti disputatione. In sequenti reliquæ difficultates examinabuntur.

DI-

DISPVTATIO XXV.

MVLTAE erant difficultates, quæ circa probl. nostrum decimumnonum examinandæ proponebantur. Inter cæteras verò, si æstas arguebatur valdè sicca est, inquit Aristoteles, igitur non quia humores calefiunt, vt dicebatur, at quià exiccantur, morbi oriuntur.

Respondetur, quamquam æstas valdè sicca ab Aristotele dicatur, nihilominus cũ eadem ingenti siccitate intelligit etiã caliditatem, quoniam æstas eadem non vt sicca putredines, & morbos facit, sed vt calida principaliter. Vnde, sed si non ita contingit, subdit inferius in probl. Aristoteles, pueri qui suaptè natura humidi, & calidi sunt, vehementer feruescunt. igitur vt feruescũt pueri in æstate valdè afficiũtur. feruescunt autem, vt calidi sunt, non autem vt sicci, & de siccitate magna cum vehementi caliditate hic intellexit Aristoteles, quamquam æstas solum valdè sicca dicatur.

Prætereà cæteris verò difficultates inte-

sti-

stinorum, & febres quartanæ longæ eo tempore fiunt, sunt alia verba subsequentia probl. Aristotelis. Quærebatur in præterita lectione cur id accidat? & sanè nulla alia ratione id accidere dicendum est, quam ex Aristotele dicta inferius in hoc eodem problem. Ergò inquit Aristoteles si non locis superioribus excrementa humorum exorta protinus interemerint, descendent cruda ad ventrem, atq; ita difficultatẽ creabũt intestinorum. at si præ nimia copia humor excerni nequiuerit (humor nempè ex vere quod præcessit accquisitus) quartanę ijs oriuntur, qui euadere mortem potuerũt, etiamsi illud intestinorum vitiũ omninò quieuerit. quod enim crudi humoris subtersedit, stabile firmumque vehementer modo atræbilis adhæret.

Sed ex his verbis Arestotelis difficultas est, vtrum scilicet humores crudi sint apti ad dysenteriæ generationem: nam dissenteria, quàm Celsus lib. 4. cap. 15. tormen latinè appellat, nihil est aliud quam intestinorum exulceratio, vt Gal. docuit 3. de cauf. symph. 2. 6. de locis affectis 2. 3. de art. com. 4. tex. 4. & alibi; atque idem Aetius affirmat,

cap.

cap.43. 9. lib. sed sic est, quod exulceratio non fit ab humore crudo at acri. igitur humores crudi ad generationem dissenteriæ inepti sunt, contrà id quod Aristoteles in problem.ait.

Respondetur vtiquè verissimum esse dissenteriam veluti vlcus non posse fieri nisi ab humore acri, vt in superioribus cum Aristotele alibi statutum fuit; ergò non potest fieri ab humore crudo negatur: nam humor crudus etiam acris esse potest, atquè ad dissenteriam efficiendam sufficientissimus est: humores inquam crudi,& pituitosi generati in corporibus nostris,in anni hac praua constitutione superius descripta, ex vere humido, & pluuioso deinde calefacti atquè retenti, in æstate acquirunt aliquam acredinem: nam acredo oritur ex mixtione sicci cum humido, itaq. acres effecti humores dicti si transmittantur ad ventrem, & intestina, faciunt excoriationem, à qua vlcus deindè, tormen, siuè dissenteria græcè, vt Aristoteles in probl. docet; dissenteria scilicet à salsa pituita loquendi modo pragmantium medicorum vtendo.

Secundo alia difficultas oritur ex verbis Ari-

Aristotelis superius allatis: nam ab humore acri dicto (si multus, & in copia reperiatur, atque excerni non possit) quartanæ febres orientur, inquit. Ergò quartana haud semper ex humore atrabiliario fit, dicet aliquis, contrà communem medicorum opinionem.

Vtiquè verissimum id est respondetur: nō etenim febris quartana ab hoc specifico humore sēper fit, vt in Theoria nostra febrium magis diffusè locuti fuimus, at ex hoc vel illo, prout natura sufficiēs est ad expulsionem humorū, à quibus febris ipsa quartana oritur: Vndè si multus sit humor non potest nisi longo tempore à natura profligari cum Gal. super aph. 16. tertij lib. & propterea vtitur tunc temporis natura periodo quartanario, ad hoc vt sufficiens sit ad expulsionem tanti humoris, atquè diutius in eodem opere perdurare possit; si humor non multus erit at crassus, stabilis, & firmus cuiusmodi est atra bilis, etiam natura eodem vtetur circuitu quartanario pro consumptione prædicti humoris. & sic optimè loquebatur Aristoteles, at si prænimia copia humor excerni nequiuerit, quartanæ ijs orientur, quod enim crudi humoris subtersedit, stabile, firmumquè

ve-

vehementer modò atræbilis adhæret: Vndè etiam longum temporis requirit pro ipsius expulsione, quam natura præcipuè quartanis circuitibus celebrare solet: vt enim docuimus in Theoria febrium superius dicta, febris est opus naturale; fit inquam à natura auctio caloris, quam febrem appellamus; & si humor est multus, natura non quotidie, sed quartis diebus dictam peragit auctionem caloris, peragit autem dictis tantum quartis diebus, vt per durare possit, & sufficientes vires habeat ad profligationem prædicti multi humoris, siuè viscidi firmi,& stabilis, quemadmodum atrabilis est natura sua, vt optimè in fine probl. præsentis 20. Aristoteles docet.

PROBLEMA XX.

Cur si æstas, & autumnus imbres austrosquè habuerunt hyems grauis consequi soleat? an quod hyems corpora prahumida excipit mutatio etiam ingens occurrit? non enim paula-

latim; sed repentè ex calore immodico, ad frigoris acerbitatem venitur, quādò autumnus quoquè tepidus extitit. Itaque qui denso corpore sunt, hos morbi extorqueant acuti necesse est: his, enim humida excrementa supra potius colliguntur cum partes superiores humoribus huiuscemodi opportunas, inferiores inhabiles illa habeant. Ideoque qui tali textura corporis sunt non multa excrementa sibi admittunt. cum igitur qui locis superioribus corporis humor excreuerit infrigescere incipit fit vt prædicta vitia oriantur: quemadmodum vinolentis propè accedit cū algent. At quibus laxius corpus est ijs febribus orsis euenit, vt quæ summa de cruditate febres constiterint transeant in ardores, quoniam in his magis totum corpus ab humoribus occupatur quam densa illis mole constantibus,

bus, exquè vi frigoris coacto eorum corpore humores in calescentes febres accendunt, superans enim calor totius corporis febris est: & si idem nimio intendatur humore ardor effici potest.

DISPVTATIO XXVI.

DOCVIT in antecedente probl. Aristoteles cur autũnus perniciosus omnibus accedat quandò hyems frigida, & borealis est, ver austrinum, & pluuiosum, nec non etiam æstas admodum sicca. Nunc in probl. præsenti 20. quod præ manibus explicandum habemus, cur hyems grauis futura sit, quandò æstas, & autumnus imbres austrosquè habuerint. Atquè grauis hyems à prædicta duorum temporum praua constitutione duabus, inquit, rationibus consequi solet. prima autem ratio est quoniam repentina mutatio fit ex immodico calore ad frigoris acerbitatem. Secunda quia hyems corpora præhumida excipit. Et sanè

mutationes repentinæ periculosæ sunt cum Hipp. lib.2. aph. 51. Plurimum, inquiens, atquè repentè euacuare, vel replere, seu quouis alio modo corpus mouere periculosum: omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit hoc tutum est, cum alias, tum cum ab altero ad alterum transitus fit. quam sententiam repetit etiam Hip. lib. de natura hominis, secundo de victus ratione in morb. acut. atquè Celsus subscribit lib. 1. cap. 3. in princ. Si autem cur mutationes repentinæ periculosæ sint aliquis quærat, ostendit, inquit, Gal. in com. ipsemet Hippocr. quia omne, inquiens, nimium naturæ inimicum est: consistit enim naturæ substantia in elementorum commoderatione, non absquè ratione, subdit Gal. omne, nimium naturæ inimium, cum elementorum commoderationem etiam destruat.

Sed si æstas, & autumnus imbres austrosquè habuerunt, deindè succedat hyems, nō erit mutatio repentina, dicet aliquis, cum inter æstatem, & hyemem, autumnus sit, qui non immodice calidus esse potest, quamquam austros habuerit: nam austri non calorem ingentem, at teporem inducunt, &

Ari-

Aristoteles in præsenti probl. quandò autumnus subdit tepidus quoquè extitit.

Respondetur, vtiquè austros non immodicè calefacere, at cum tepore: sed cum Aristoteles ex calore immodico ad frigoris acerbitatem mutatio fit, inquit, in prædicta constitutione, de immodico calore extensiuè intellexisse ego dicerem, non autem intensiuè: nimirum præcesserunt æstas calida, & autũnus tepidus, inquit Arist. Vndè extẽsiuè de calore immodico ad frigoris acerbitatẽ repẽtina mutatio facta periculosa erit.

Alia ratio cur hyems grauis à prædicta constitutione futura sit cum Aristotele in probl. quoniam hyems corpora prẹhumida excipit dicebatur. Atquè corpora dicta præhumida excipiens sua frigiditate condensat, vel constringit; vndè varios deinde effectus pro varia corporum constitutione cõsequi necesse est: nam alij hominum denso, & firmo corpore sunt, alij verò rarò: quiquè denso sunt corpore vẽtres exiguos habent vbi excrementa colligantur: vndè si quæ adsunt forte fortuna excrementa eadem in partibus superioribus retinent tanquam latioribus atquè magis capacibus; &

 his

his amplius acuti morbi tunc temporis fiũt, inquit Aristoteles, & eadem vitia enascuntur, quæ vinolentis accidere solent, algent scilicet.

Ex his autem Aristotelis verbis dubitabatur apud commentatores, de quibus nam morbis acutis intelligatur nam acuti morbi, inquit Hipp. in lib. 1. de victus ratione morb. auct. sunt hi quos veteres nominarunt pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, & causon, & alij morbi, qui ex his hærent; quorum febres continuæ sunt, & occidunt, atquè hos etiam morbos à prædicta videlicet constitutione consequi docuit idem Hipp. in lib. de aere aquis, & locis. Ex altera verò parte morbi acuti fiunt, inquit Aristoteles quemadmodum vinolentis propè accidit, algent: venolentis autem accidunt obmutescentiæ, conuulsiones, apoplexiæ, somnolentiæ, stupores, & alij huiusmodi præcipuè morbi acuti. Vnde Hipp. 3. aph. 5. Si ebrius quispiam repente obmutuerit conuulsus moritur nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ vocem recuperet; distentis neruis legit Marsi. cagnat. 1. variar. cap. 27. hos inquam præcipuè

puè morbos acutos ex prædicta constitutione fieri ego dicerem, atquè ab humore multo frigido, & humido intrà thoracem retento, refrigerante, nec non etiam natiuum calorem destruente: nam ex Aristotele facultates animales in cerebro resident vt alibi melius declarabitur.

Quod si corpora hominum, quæ ab hyeme præhumida excipiuntur, vt supra, non densa, & solidæ texturæ sint, at rara, ijs febres orientur, & ardores: nam corpora rariora ab humoribus magis occupantur, quam densa carne pollentia; exquè vi frigoris coactis prædictis humoribus incalescũt, & febres accenduntur: superans enim calor totius corporis febris est. & si eadem nimio intendantur humore, ardor effici potest sunt verba Aristotelis.

Ex quibus primo dubitandum occurrit, cur corpora rariora magis occupentur ab humoribus quam densa. Vtrum etiam magis febribus capiantur. Secundo quænam febres accendantur dum humores dicti frigidi, & humidi à frigore ambiẽtis intrà corpora constringuntur. Tertio quid nam ardoris nomine hic intelligat Aristoteles. Et de-

niquè an omnis calor exuperans sit febris: de his autem omnibus in sequenti.

DISPVTATIO XXVII.

CORPORA nonnullis densa sũt, at solida dicebamus, alijs verò rara, & laxa: quibuscumquè autem solida, & densa sunt, ijs suffocationes, apoplexiæ, aphoniæ, & summatim breues interitus in hyeme accidunt: nam humores multi humidi, & crassi, ab æstate, & autumno meridionalibus recepti, cum non possint in dicta hyeme propter frigus cõstringens ambiẽtis in reliquas corporis partes distribui atquè communicari, reliquum est vt in concauitatibus magnis in superiori parte corporis existentibus detineantur, vbi deindè conclusi coactiquè maiorem vim faciunt, & maximè lædũt: virtus enim vnita maior cum communi prouerbio. Alijs autem non densa, & solida, sed rara, vel laxa corpora sunt, atquè his in hyeme febres oriuntur, inquit Aristoteles: nimirum ijsdem corpora rariora sunt, vndè etiam

aptio-

aptiora ad humiditatum receptionem: humiditatesq; dictæ per totum corpus diffundi, vel distribui facilius possunt. Quod si humiditates amplius nõ solum per plures corporis parte, sed multæ etiam sint, vel copiosiores, ardores enascentur cum Aristotele ibidem. Contrà hæc autem fuit pluribus dubitatum. Et ad primum quod quærebatur breuiter accedẽdo, corpora rariora magis abundant humoribus, quam dẽsa, & firma cum dixit Aristoteles extensiuè id intellexisse ego dicerem: nimirum totum corpus magis ab humoribus occupatur quam densa mole cõstantibus, sunt verba eiusdem Aristotelis. Sicuti etiam febribus eadem ratione magis afficiuntur: nam alias quæ densæ texturæ sunt intensiuè magis febricitari valent quam raræ texturæ, cum calor siuè ignis in densiori subiecto maioris intentiorisque sit actiuitatis quam in raro, vt experientia constat. Secundo loco in præterita lectione quærebatur quenam febres à constitutione superius dicta oriantur in corporibus laxã substantiam habentibus? Et huic etiam petitioni responsum exhibendo, at quibus laxius corpus est, ijs febribus orsis

euenit, vt quæ summa de cruditate febres censtiterint, trãseant in ardores, inquit Aristoteles in probl. Igitur febres illæ enascentur, quæ à cruditate sunt, respondetur: Quod si humores crudi amplius nimij sunt febres dictæ à summa cruditate in ardores trãsient tertio loco, inquit ibidem Aristoteles. Nam sicuti oleum, verbi gratia, in multa quantitate maioris ardoris causa est quam in pauca, ità etiam cruditates dictæ, vel pituitosæ humiditates in pauca quantitate faciunt febres, in multa verò dum accenduntur ardores, in maiori enim quantò maior est virtus cum Philosopho.

Vltimò loco an omnis calor exuperans sit febris in præterita disputat. quærebatur; nam calescunt interdum homines ab exercitio, à cibo, ira, vel alijs huiusmodi, ac tamen non febricitant. & Hipp. 7. epid. in hist. Leophorbidæ febricitanti huic, inquit, decimasexta horror accessit, vigesimaprima rigor, & sudor, & febris desijt, verum adhuc calor suberat tenuis: vndè non omnis calor exuperans febris est, quemadmodum in probl. 20. superius declarato legitur: nisi etiam dicamus cum superans calor totius

cor-

corporis febris est in probl. locutus fuit Aristoteles, de calore præternaturali intellexisse, & exuperante: nequè amplius tenuiter exuperante, & sine læsione, vt in Leophorbida accidit, at morbosè experante, & cum læsione.

PROBLEMA XXI.

Cur annus pestilens tunc inuadit, cum sol multum vaporis de terra excitat? An tunc annus humidus pluuiusque significetur, necesse est, terramque madescere necessarium? fit igitur vt quasi locis palustribus grauibusque proinde inhabitetur: & corpora quoquè multis tunc excrementis redundare necessarium est, ità vt ægrotandi materiam habeant in æstate.

DI-

DISPVTATIO XXVIII.

DE peste, & contagio superius probl. 7. præsentis primæ sect. si memistis multa dixit Aristoteles: nunc verò in pręsenti problem. 21. circà causas eiusdem ratiocinatur, & præcipuè extrinsecas. Nam causæ pestis in duplici differentia sunt, nimirum, vel extrinsecę sunt, vel intrinsecæ: Extrinsecę amplius aliæ sunt remotæ aliæ verò proximę, & coniunctæ. Inter causas remotas primò recensetur Deus cum Gal. in proem. 1. in primum epid. quem auctorem pestis interdum fuisse historiæ narrant: Nam anno exempli gratia, antè Christi Natale 735. pestis quædam inter Romanos, & Laurentios populos viguit, quam Deorum ira contigisse Plutharcus refert in vita Romuli. Anno etiam 638. vrbem alia fortis pestis inuasit, cuius timore deterrita tota fuit religione, licet vana, repleta, quod idem annis 381. 274. accidit, vt Liuius lib. 6. necnõ etiam in Epi-

tome

rome lib.2.retulit. In lege veteri deuteronomij testimonio Moyses ad populum sic loquebatur: si audire nolueris vocem D. Dei tui, & eius cæremonias, & mandata quæ præcepi tibi non seruaueris, super te omnes maledictiones venient: adiungam quoquè pestilentiam, donec de terra consumet te. Et paulò inferius percutiet te Dominus egestate, febre, frigore, ardore, æstu, aere corrupto, & rubigine donec pereas. vt etiam similia leguntur 2.Reg.cap.24.primo Paralipomenon cap.21.Hierem. c.14. 38. Ezech. cap.5.Sed non solum in lege veteri, verum etiam post Saluatoris D.N. Iesu Christi aduentum diuina opera pestis in homines rapuit: Nam anno à Christo nato 590. quo tempore Pelagius occidit, inguinaria pestis adeò valida fuit, vt si quis oscitasset, vel sternutasset statim moreretur, vt refert Platina in vita Pelagij secundi, & Greg.I., Blondus, Paulus Diaconus, Petrus Messia, & alij; & ex eo signo crucis os signari oscitantibus, & sternutantibus dici auc incepit: Pro qua peste fuganda cum D. Gregorius Magnus preces rogationesq́. funderet super Adriani molem vidit Angelum sanguinolentum en-

sem

ſem abſtergentem, dicentemq́; Regina Cæli lætare alleluia, quia quem meruiſti portare alleluia, reſurrexit ſicut dixit alleluia, quibus verbis D. Gregorius, ora pro nobis Deũ alleluia adiunxit. Anno etiam 533. poſt partum Beatiſſimæ Virginis, fuit peſtis Romæ, & extrà, quo tempore nonnulli Diabolum prospiciebant à quo Ianuæ pulſabantur: & quot pulſationes exhibebat tot mortui deindè à pulſata Domo exibant: pro qua peſte ſedanda fuit altare erectum D. Sebaſtiano in Eccleſia S. Petri ad vincula, & ſubitò peſtis euaſit, vt refert Paulus Diaconus lib. 6.

Secundo loco inter cauſas extinſecas peſtis apud Aſtrologos referuntur ſydera, vel eorundem aſpectus, atquè præcipuè cum Ariſtotele vt refert etiam Neotericè Eurnius lib. de febrib. peſt. cap. 19. fit peſtis coitione ♄, & ♃. Albumaſar. ♃ & ♂ adſcribit. alij ☌ ♄ & ♂ in ♊ aut ♍, Alij Eclipſi peſtis principium tribuunt; nam vt refert Platina in vita Agatonis, Blondus, & Tarcagnotta lib. 9. ab inſolita obſcuratione ☽ & ∷ die 3. Maij facta anno 703. peſtis adeò valida Italiam obſedit, vt idem Pontifex etiam interfe-

fectus fuerit. Anno rursus 260. à Christo D. N. nato sol per plures dies lumen amisit, vndè Romam pestis deindè validissima occupauit, vt vna die quinquè millia hominum perempti referantur à Petro Messia in vita Galieni Imperatoris.

Sed non solum aspectus syderum, & Eclipses, at cometæ, vel alia similia quæ in sublimi regione accidunt Μετεωρα græcè dicta, sunt etiam pestis causæ apud nonnullos. Vnde anno 462. antè Christi aduentum fuit visum cælum ardere, multique ignes in aere apparuere, atquè pestis deindè fuit, vt Liuius refert lib. 2. Dionisius Alicarnassæus lib. 9. & Tarcagnotta lib. 2. volu. 1. Anno quoque 174. ante Christum natū tres soles visi fuere. Anno verò 985. post partum Beatissimæ Virginis stella Comata apparuit, vt refert Platina in Vita Clementis V. sicuti etiam anno 1340. auctore Leonardo Aretino lib. 6. & Io. Villano lib. 11. secundæ partis, in quibus temporibus validissimæ quoque pestes fuere. Deniquè anno 1618. de mense Nouēbris. nostris temporibus trabes ignitæ duæ per nonnullos dies; postea verò comata stella in oriente apparuit etiam per plures dies: Amplius de anno 1623. tres soles visi

fue-

fuere. & in ☌ ♄ cum ♂ in signo ♍ quæ fuit de anno 1626. mense Septemb. totũ cælum ardere visũ fuit, & ad formã belli huc illucq. veluti radij igniti transfluere videbantur: à quibus deindè Μετεωρις febres malignissimæ multæ vagarunt, ab anno scilicet 1622. vsq. ad hũc 1630. in quo mirum etiam non est si & pestis, vt auditur, perniciosa, atq. lætalis, Mediolanũ, Veronam, Bononiam, Parmam, Cremonam, & alias multas Insubrum Ciuitates, vel terras seuissimè grassatur.

Recensentur quoque ab alijs inter causas externas pestis Terremotus, aquę corruptæ, animalia putrida, vel corrupta corpora, animalia valdè venenata, aer inclusus atquè corruptus, & similia. Terremotus inquam: nam vt inquit Auic. 1. fen. 4. lib. tract. 4. cap. 1. quandoque accidunt putredines in interioribus terræ propter causas, quarum euentus ignoratur, & nocere faciunt aquam, vel aerem. Vnde anno 434. in Romano comitatu fuit terremotus magnus, quem pestis secuta est, quæ in ijsdem locis per tres annos durauit, vt Liuius refert lib. 4. Dionisius Halicarnassæus lib. 10. & Tarcagnotta lib. 13. par. 2. Vt idem à terremotu anno 1232. accidit cum Diuus Roccus viueret. Platina refe-

referente in vita Greg. IX. Anno similiter 260. à partu Virginis in Asia à terremotu magno, aquæ salsuginosæ lacus factus est, & pestis etiam magna secuta fuit.

Aquæ corruptæ secundo loco causæ pestis externæ dicebantur, præcipuè autem cum Auicenna lib 3. tract. 3. cap. 2. si in dictis aquis linum aut canabis macerentur, aut oriza feratur. Tertio loco animalia putrida recensebantur in causa pestis: nam anno à Christi Natale 900. ex vermibus à puluere ortis, pestis accidit, vt refert Bernardinus Corius in prima parte sui operis. Sicuti etiã corrupta corpora: nam vt inquit Auic. loco superius citato vitiatur aer ex vaporibus à corporibus in prælio interfectis, non tumulatis, vel exiccatis, per ventos ad proximiores regiones demandatis, vel in proprijs commorantibus locis.

Sed non solum cadauera hominum, at animaliũ brutorum eadem ratione in causa pestis esse possunt, vt in Asia ex mortuis locustis accidit, Pauli Orosij testimonio lib. 4. nec non etiam in Gallia anno 864. vt Greg. Turonensis refert lib. 6. cap. 44. suarum historiarum. quemadmodum animalia vene-

nata

nata valdè, ſicuti Dracones, & huiuſmodi: nam, vt inquit Platina in vita Pelagij II. & Greg. I. atquè Blondus 8. ſuarum hiſtoriarum, Paulus etiam Diaconus lib. 2. cum Petro Meſſia in vita Mauritij Imperatoris, anno 590. cum adeò Tiberis excreuiſſet vt Vrbis mæniu ſuperaſſet extra flumen Draco cum alijs paruis Draconibus relictus fuit, à quibus tantum vitiatus eſt aer, vt inguinaria peſtis appellata exindè ſecuta fuerit.

Et deniquè aer incluſus peſtis cauſa eſſe poteſt dicebamus: vt etiam Aetio placuit ſerm. 1. tetrab. 2. cap. 94. vndè poſt Chriſti aduentum Antonio Pio adhuc regnante, & Iulio Capitolino referente, in Seleucia Syriæ Ciuitate, vbi in templo Apoll. aurea Arcula à militibus Vidij Caſſij aperta eſſet, halitus adeò fętidus exijt, vt deindè Babiloniam Parthos, totumque orbem peſtilentia infecerit.

Sed de cauſis extrinſecis remotis quidquid ſit, accedamus ad proximiores: Atque ſecundum Medicos propinquior cauſa externa peſtis ipſe aer cenſendus eſt vt Gal. 1. de diff. feb. cap. proprio docuit, in peſtilenti inquiens aeris flatu inſpiratio plurimum

cau-

causa est;& paulò post, magna autem ex parte, subdit, ex inspiratione incipit aeris circumstantis à putrescibili euaporatione infecti. Aer inquam ab aliqua putredine infectus, est causa pestis proxima externa: atque non ex omni putredine amplius adderem, sed insigni, vel naturæ humanæ à tota substantia aduersante; nulla etenim datur pestis quæ aliquam non ducat secum venenatam qualitatem naturæ humanæ contrariam, quę quidem qualitas venenata ab insigni solum dicti aeris curruptione substantiæ interdum oritur cum Auer. 4. collig. cap. 4. Atquè corruptio huiusmodi, inquit, nec non etiam 6. collig. cap. 12. confirmat, propter multam pluuiam accidit, siuè ab excessiua humiditate cum caliditate. quòd idem docuit etiam Auic. 1. 4. tract. 4. cap. 1. Auezoar lib. 3. Teisir tract. 3. & Hipp. deniquè pluribus in locis confirmauit: præcipuè autem 2. de morb. vulg. circà princ. cum de morbis in Cranone agit, vbi carbunculos ex nimia humiditatè cum caliditate ortos recenset. Vnde Gal. posteà primo de diff. feb. cap. 4. cum aeris temperatura, inquit, à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodicè conuersa

M fue-

fuerit, pestilentes morbi exoriuntur; nam, vt dicebamus, ex insigni aeris humiditate cum caliditate putredo exoritur venenatam qualitatem habens: atquè cum eundem aerem trahere coacti sumus, tanquam præsentaneum venenum illum carpimus. Gal. etiam scribit in lib. de Theriaca ad Pisonem. Cum ergò caliditas insignis, nec non etiam excessiua humiditas sint causa pestis, hæc igitur est ratio cur annus pestilens tunc inuadit, cum multum vaporis sol de terra excitat, quod ex Aristotele in probl. quærebatur. Vapor enim calidus, & humidus est: Vndè ad aerea à sole tractus, fit cum multus præcipuè est, non possit deindè à solis eiusdé calore dissolui, & consumi, at corrumpatur necesse est, corrumpaturque simul aer in quo reperitur, & pestis deindè oriatur. Vndè etiam anno 27. antè Natale D.N. Iesu Christi pestis Romæ validissima fuit à Tiberis excessu Dione referente lib. 45. & anno etiam 61. à partu Virginis Beatissimæ ob immensas diutisnaque pluuias pestis alia totam inuasit Italiam, cum Platina in vita Bonifacij Quarti.

DI-

DISPVTATIO XXIX.

CAVSAM externam propinquiorem ipsius pestis corruptum aerem superius dicebamus: corrumpi autem aerem præcipuè cum vapores multi de terra à sole eleuantur cum Aristotele. Atq. calor excedens eiusdem aeris cum insigni humiditate pestis causæ sunt, vt audiuistis. sed non ità semper accidere pestem nunc dubitabit aliquis: nam vt Sozomenus retulit lib. 6. anno 363. à Christo nato fuit pestis post eximiam siccitatem.

Valesius etiam de Taranta lib. 7. cap. 1. causam pestis, inquit, esse frigiditatem: frigiditas enim humores conculcat, & malorum humorum non fiunt debitæ resolutiones, quinimò retinentur, augenturque, & eò maximè si annus fertilis præcesserit, in quo plurimi etiam fructus reperiantur.

Præterea vtrũ aer corrumpi possit? Nam putrefactio est passio mixti cum Aristotele 4. Metheorol. & 25. probl. 20. aer, & ignis non putrescunt legitur.

Et deniquè quæ putrescunt superfluam

humiditatem habeant necesse est; sed aer superfluam humiditatem habere non potest; ergo nequè putrefieri. Minor probatur ex Aristotele 1. probl. 25. vbi aerem per aquæ tactum humidiorem non reddi inquit: nam idem aer summam obtinet humiditatem; vndè aliam adipisci non potest.

Quidquid tamen de his sit, putrefit aer, & mediante eiusdem putrefactione pestis externè vtiquè oritur, nemini dubium est, vt superioribus probabatur: putrescit inquam aer non vt simplex est vel purum elementum, at veluti ex vaporibus compositionem recipit, nec nō etiam aliqualem mixtionem.

Et sic quoad primam difficultatem de anno 363. à Christo nato fuit pestis ab eximia siccitate estò. ergò humditas causa externa immediata pestis non est negatur: nam vel pestis externè generatur vel internè; nimirum generatur corruptio, vel praua qualitas pestis interdum atquè primum principiū habet extra vasa, & corpora hominum, vt superius audiuistis, interdum verò intrà, cum scilicet eadem vasa humidis atquè prauis succis scatent, qui in venenum degenerent: quemadmodum anno 68. accidit à

Chri-

Christo nato, vt refert Tacitus lib. 16. suorum Annalium. Si igitur externè, semper humiditas vt causa immediata concurrit. Si internè vtiquè interdum siccitas, vel alia qualitas pestis causæ externæ affirmari possunt: quemadmodum de anno 363. accidit: nimirum causa externa pestis internè generatæ siccitas fuit vt Sozomenus refert: nam siccitas eadem annonæ carentiam, vel famem inducendo, exempli gratia, humores generantur intrà vasa hominum, qui deindè pestis causa immediata esse possunt. Siccitas inquã non pestis externè genitæ, sed internè causa esse potest; at causa externa, per accidẽs, & non per se: Cuiuscumq; aũt pestis externè genitæ, & magis propriè pestis appellatæ, aer corruptus semper concurrit, vt superius dicebamus. Ità etiam, & frigiditas non per se, at per accidens, & quatenus, vt dicebat Valesius de Taranta, humores conculcat, vel alias, pestis causa esse potest; pestis enim putredo ingens est vt superius dicebamus, atquè putrefactio corruptio est natiuæ caliditatis in vnoquoque humido cum Aristotele 4. metheor.

Tertio dubitabatur an aer corrumpi pos-

sit, vel vt rectius dicam, putrefieri: nimirum aer est simplex corpus, putrefactio verò est passio mixti cum Aristotele ibidem. Vtique aer vt purum elementum, respondetur, corrumpi non potest: vt verò mixtum est, è contra maximè corrumpitur.

Aer prætereà humectari amplius non potest, ergò neque corrumpi, nec etiam pestis causa esse potest deniquè dicebatur. Respondetur humiditate naturali vtiquè verissimum esse quod non corrumpatur: præternaturali verò quamquam aer sit in summo gradu humidus, maximè putrefieri potest: nam vt inquit Auic. 1. quarti, tract. 4. cap. 1. fiunt pestilentes febres interdum ex aere turbido, & humido: illa inquam turbida humiditas, hoc est humiditas crassa, & vaporosa, aeri quamquam per se summè humido addi potest, atquè secundum eandem corrumpi, & calefieri.

Sed estò quod aer interdum causa immediata pestis esse possit, id tamen non semper accidit, dicet iterum aliquis, nam tactu pestem habentis, aut fomitem eiusdem, generatur in hominibus pestis. ergò non semper aer concurrit ad pestis generationem.

Vel

Vel in aere, respondetur, generatur pestis externè, aut semper aere mediante communicatur, siquidem, vel tactu immediato communicetur pestis, vel per fomitem, aut ad distans, semper tamen contactus Phisicus requiritur, qui cum Aristotele 2. de anim. contex. 113. vel in aere, vel in aqua fit: hoc est vel aere, vel aqua mediante celebratur; aqua mediante in aquatilibus, aere verò in terreis & aereis: vndè etiā mediante eodem omnis pestis externa, vel generatur, vel cōmunicatur.

PROBLEMA XXII.

CUr grauis tunc adeat annus, cum copia est pusillarum ranarum, quæ rubetarum faciem repræsentant? An res vnaquequè loco suæ naturæ idoneo abundare solita est? itaquè huiusmodi animantium genus cum natura humidum sit, humidum pluuiumq; annum ob eam ipsam causam indicat.

Anni eiusmodi verò graues proculdubiò sunt: quibus enim corpora facta præhumida fuerint multis idcircò excrementis præmuntur: quæ causæ sunt, vt morbi proueniant.

DISPVTATIO XXX.

EGIT in præcedenti probl. Aristoteles de causis pestis, & præcipuè extrinsecis si meministis: in præsenti verò 22. agit de signo quodam prognostico, & tunc inquit, grauis annus inuadit, cum copia est pusillarum ranarum, quę rubetarum faciem repræsentant. Circà quæ verba primo notandum est, annum grauem hic intelligi communiter, & respectu aliorum morborum, non verò præcedentis morbi solum, siuè pestis de qua sermo in pręcedenti probl. fuit; nam rana tanquam humiditatis indicium, indicat etiam varia genera morborum: licet sæpissimè etiam pestem. Vndè Aetius lib. 1. tetrab. 2. cap. 95. si quadrupedum corruptio contingat. si quę ex putredine gignuntur, quibus terra impu-

ra

ra est mater, pater vero Sol, præter modum in maiori copia producentur, vt ranæ, locustæ, muscę variorum generum, & huiusmodi, pestis signa sunt inquit; & Auic. 1. quarti per viam societatis asseruit, quæ significat pestilentiam, est vt videamus ranas iam multiplicari: Sed de his quidquid sit, Rana latinum est nomen, quod græcè βατραχος dicitur, nempè animalis genus palustris tam in terra, quam in aquis vitam habens. nam plures species sunt ipsarum ranarum: aliæ enim in aqua viuunt, vnde marinę, vel fluuiatiles ranæ à Plin. afferuntur lib. 32. cap. 5. natural. hist. aliæ verò extrà aquam, quales sunt pręcipuè illæ quas φρυνᾶς græci appellant cum Plin. ibidem; latini verò rubetas à rubo siuè vepre in quo frequēter degunt: Dico autem frequenter, quoniam hæ non solum in vepribus viuunt, vt in Plin. legitur loco dicto, verum etiam in terra, & humore, cum eodem lib. 8. cap. 31. Ranæ rubetæ, inquiens, quarũ, & in terra, & in humore vita est, vt etiam Alb. Magnus lib. 26. de anim. cap. 204. idem asseruit. Sunt autem prædictæ rubetæ cunctarum ranarum grandissimę ex Plin. lib. 32. dicto, geminis veluti cornibus, plenæ venefi-

cio-

ciorum: nam si ferantur in populum silentiũ fieri tradunt authores: ossiculo quod sit in dextero latere in aquam feruentem deiecto, refrigerari vas, nec posteà feruere nisi exempto. Id inueniri obiecta rana formicis, carnibusquè erosis singula in solium addi. Et aliud esse in sinistro latere quo deiecto feruere videatur, Apocynon vacari. Canum impetus eo cohiberi, amorem concitari, & iurgia addito in potionem, venerem adalligatum stimulare. Rursus à dextero latere refrigerari feruentia. hoc & quartanas sanari alligato in Pellicula agnina recenti, aliasque febres. Amorem inhiberi eo: Item ex his ranis lien contrà venena, quæ fiant ex ipsis auxiliantur. Cor verò etiam efficacius est. Sed his omissis tanquam fabulosis, & ex sententia aliorum à Plin. recensitis, Rubetæ eædem tanquam ranæ genus, humidæ sunt natura sua: humiditas autem putredinis causa materialis est, vt alibi dicebamus: ideò cum ranæ paruæ, sed tamen in copia, atquè colore, & figura ranarum rubetarum generantur, tũc annus grauis est, inquit in probl. Aristoteles. Ex quibus verbis oriuntur duæ difficultates. Nam annus grauis est, inquit

Ari-

Aristoteles post copiam ranarum dictarum, quoniam scilicet ranæ arguũt humiditatem estò. sed omnis rana arguit humiditatem, ergò omnis etiam rana prædicit annum insalubrem, non autem ranæ solum quæ rubetarum faciem repræsentant, dicet aliquis.

Secundo tunc inuadit annus insalubris, cum copia est ranarum paruarum rubetæ faciem repræsentantium: sed in quo loco? an in terra, vel in aqua dictæ ranæ rubetis similes obseruandæ sunt.

Quoad primam difficultatem vtiquè omnis rana quià humiditatē insignem arguit, si in copia fuerit, insalubritatem prædicit: at rubetæ faciem repræsentantes ranæ id magis agũt: nam rubeta venenosum est animal, inquit Plin. lib. 8. cap. 31. vndè Iuuenalis satir. 1. de quadam praua muliere concinens.

Porrectura Viro miscet sitiente Rubetam

Atquè omnes fere Auctores agentes de venenis inter hęc rubetã recẽsent, eiusdemque veneni assumpti curationem admonẽt, vt præcipuè apud Nicandrum videre est Aetium lib. 2. cap. 162. & lib. 13. c. 5. apud Dioscoridem lib. de materia medica, Paulũ, Plin. & alios; neatericè verò apud sanctum Ar-

Ardoinum lib.4.de ven. c.6. & alios quamplures. Cũ ergò ranarum copia rubetarum faciem habentium fuerit, annus grauis inuadit, quoniam non solum putredo simplex propter insignẽ humiditatem arguitur: verum etiam putredo cum prauitate, & praua constitutio ab his ranis expectanda est.

Sed in quo loco prædictæ ranæ obseruandæ sunt, secundo loco dubitatur: nam ranarum quatuor sunt species; inquit ibidem Ardoinus; quædam namquè est rana lacualis, seù in aquis dulcibus degens, & hæc est viridis. quædam verò rana est marina, in mari, seu aquis salsis degens, & hæc communiter est rubea seù rubedini attinens: quædã verò est rana vocata rubeta, quæ ideò vocatur rubeta, quod frequenter in rubo moratur, & aliquandò arundineto. quædam verò rana ponitur esse citrina & ista moratur in campis: In aquis inquam, an in campis, vel arboribus, aut arundinetis obseruandæ sunt prædictæ ranæ? tam in aquis quam in alijs omnibus locis ranarum copiam, m rbosum annum prænunciat, sed in terra id magis agit respondetur: nam ex copia ranarum dicta arguitur terra plus iustò humidior, qui-

quinimmò cum humiditate prauitatẽ quoquè admixtam continere, cum rubeta inter omnes ranas venenosior vt audiuistis; ideoque ranæ rubetis similes, inquit Aristoteles, hoc est ranæ terrestres rubetis similes grauem annum portendunt; ranæ inquam paruæ geminis veluti cum cornibus, tenues, atquè vt describit Aponensis in com. quæ in parte superiori cineritij coloris sunt, seu cæsij, sub ventre verò habent colores citrinos aureos, quos non rarò contingit in Italia post pluuias videre, æstu præcedente vehementi, saltantes per loca prius arida puluerulenta, & habẽt paruam caudam subtilem: Ranæ scilicet, inquit Septalius, ex putri materia in terris genitæ conspersis tantum æstiuo imbre littorum, & viarum puluerulentis arenis, quarum breuis vita, & nullus vsus est. de quibus ranis Aelian. lib. de anim. 9. c. 11. & lib. 17. c. 12. cum ex Italia loquitur, Neapoli Puteolos iter facerem, ranas prospexi, quarum pars quæ ad caput pertinet repebat, & duobus pedibus agebatur altera non dum conformata, cõcretione limosi humoris similis trahebatur, & eodem corpore sæpè altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.

lus. Post pluuias autem in Italia non rarò videre contingit huiusmodi ranas, inquit Aponensis, vt audiuistis superius: nimirum ad significandum prædictas ranas mixtione calentis terræ cum pluuia procreari. Sed vtrũ in nubibus etiam eędem generari possint, atquè de cælo iam factæ in terram decidant? nam pluuisse ranis interdum legitur apud Athenæum lib. 8. apud Celium lib. 24. cap. 3. necnõ Diodorum Siculum lib. 4. de fabulosis antiquorum gestis: sicut etiam, & Exodi 8. Deus Pharaoni per Mosem maximam copiam ranarum immisit, hoc est ranis pluuit, nonnulli putant. Quidquid autem de his sit, ranæ in nubibus naturaliter generari nõ possunt, respondetur: nam generatio concoctionem præsupponit, cõcoctio autem incrassando fit per Aristotelem 4. metheor. cap. 3. incrassatio insuper humido quidem abeunte fit, sicco autem cõsistente per eundem Aristotelem cap. 3. vndè cum aqua valdè humida sit; ergò nequè in crassari potest, nequè igitur in eadem vlla fieri potest generatio, nisi cum terra mixta fuerit, quod de aqua pluuiali firmari non potest: nam cum per aerea feratur talis aqua, non potest in se terram

ram natura grauem continere, nisi ope diuina, & miraculosè, vt fortaſsè accidit cum ranis pluuiſſe ſuperius Auctores referebant: quemadmodum etiam cum lacte pluuiſſe refertur à Plin. lib. 2. c. 56. 58. ſanguine, carne, ferro, lana, lateribus coctis, lapidibus, vel alijs huiuſmodi; pluuit enim naturaliter aqua ſolum, cæteris verò rebus ſuperius dictis ſupernaturaliter, & miraculosè, vt dicebamus.

PROBLEMA XXIII.

Cur auſtri ſicci, & nihil humentes, febres creare ſoleant? An quia calorem humoremq. excitant alienum, ſunt enim ſuapte natura humidi, calidiq. qua quidem re febris committitur, quippè quæ non niſi per exceſſum ambarum qualitatum illarum oriri ſoleat. Cum igitur imbre auſtri vacant, corpora noſtra ita afficiantur, neceſsè

cesse est: at cum flatibus imber adest, nos aqua refrigerat. austros tamen, quos mare miserit, prodesse stirpibus, certum est. refrigerati nanq. beneficio maris, deueniunt contrà æruginem, quæ humore, caloreq; alieno consistit.

DISPVTATIO XXXI.

PLVRES venti sunt, vt in superioribus dicebatur, præcipui vero quatuor, nempè subsolanus, fauonius, septentrio, auster. De hoc autem austro Arist. in præcedenti probl. cur, inquit, austri sicci, & nihil humentes febres creare solent? An quia calorem, humoremq. excitant alienum, respondet, & quæ sequntur alia: circà quæ verba oritur primo difficultas, quoniam austri natura sua humidi sunt per Arist. paulo infra in probl. præsenti; vnde Albertus Magnus 3. metheorol. tract. 1. cap. 23. auster inquit, quia aquas haurit appellatur, igitur malè austros siccos ventos hic dicit Aristoteles.

Se-

Secundò ideo austros febres generare dicit etiam Aristotet. quoniam calorem, humoremq. alienum excitant, in qua re febris committitur, quippè quæ non nisi per excessum ambarum illarum qualitatum oriri solet. At Gal. dicet aliquis, cõtrarium docuit pluribus in locis, præcipuè vero 1. acut. com. 1. tex. 18. quod si asserens cõtraria cõtrariorũ remedia sunt, sanè febris peculiare remedium, vt virtute cum refrigerante, tum etiam humectante sit, oportet; id namq. febris naturæ, quæ calida, & sicca est contrarium erit. ex natura igitur sua febris calida, & sicca est, vndè non in caliditate, & humiditate consistit, veluti Arist. nunc docet.

Tertiò, Austri venti sunt natura sua calidi, & humidi, vt paulò antè dicebamus per Arist. Hipp. vero 2. de diçta, naturam inquit venti omnes humectãdi, & refrigerandi habent, tum animalium corpora, tum nascentia ex terra; & necesse est omnes ventos spirare à niue, à glacie, & gelu vehementi, & fluminibus, & stagnis, terraq. humecta, & refrigerata.

Quartò, & vltimò, maritimus locus ad sanitatem cõmodus est per Hipp. lib. præcep.

in fine, sed austri è mare profluunt, igitur nõ insalubres sunt, neque febrium causæ benè dicuntur ex Arist.

Quidquid tamen de his sit, austros ventos siccos efficere febres, res est clara, constat enim experientia ipsa, & Hipp. in lib. epid. pluries id, docuit præcipuè autem sect. 3. in princ. 2. lib. in Perinthum, inquiens, circà solstitium ferè æstiuum venimus: facta est autem hiems clementi cœlo austrina, ver, & æstas valdè sine aquis vsque ad pleiadũ occasum, Etesiæ non valdè spirarunt, æstate febres ardentes populariter grassatæ sunt. Theophrastus etiã in lib. de vẽtis, rursus loquitur, austri sicci, & absque pluuia existentes febres faciunt, humiditatem enim calidam extraneam in corpora nonnulla inducũt, qui calidi, & humidi natura sunt: hæc autẽ affectio febriculosa est, quippè febris ex harum ambarum qualitatum excessu fit.

Non obstant autem, quæ superius in contrarium afferebantur; nam cum austros siccos appellat Arist. non intelligit austros, vt venti sunt solum, atque in prima sua essentia consideratos; at cum austros siccos inquit,

quit, considerat eos quatenus ad nos, nostrasque regiones ferũtur: & quoniam interdum sunt sinè aqua, interdum verò cum aqua, ideò sicci, vel humidi etiam appellantur; sicci inquam venti, hoc est non pluuiosi, vel absq. pluuia intelliguntur apud Arist. in præsenti, non tamen quia austri, vt austri sunt, semper humidi non sint, nam sua propria natura hi calidi, & humidi sunt cum Arist. vt audiuistis.

Secundò austros generare febres quoniam calidi, & humidi sunt, in quibus febris consistit, vt inquit Arist. videbatur absurdũ; nam febris ex Gal. calida, & sicca est natura sua, igitur non in humido, & calido consistit. Respondetur aliud esse considerare febrem, vt materia est, aliud verò vt forma; forma febris vtiq. in calido, & sicco consistit, & febres natura sua calidæ, & siccæ sunt formaliter consideratæ; si tamen consideretur febris, vt subiectũ est, hoc est materia in qua ipsa febris accenditur, huiusmodi calida, & humida est. Ideò cum austri sicci, hoc est sine pluuia calidi, & humidi sint natura sua, proptereà etiam febres accendunt, nam præbent corporibus animalium materiam,

in qua febris accendatur: febris enim vt alibi dicebamus, latinè, à feruēdo dicitur, quę autem feruent calida, & humida sunt; ideo cũ austri calidi, & humidi sint etiam febres efficiunt, hoc est materiam exibent, in qua feruor, vel febris accendatur.

Tertio afferebatur textus ex lib. 2. de dięta, vbi refrigerandi, & humectandi vim habere ventos omnes ait Hipp. contra Aristot. hic, qui ventos austros calidos, & humidos esse natura sua asserit. Respondetur, aliud esse considerare ventos in prima ipsorum generatione, & in fieri, aliud verò in facto esse, & ex hoc, vel illo loco profluentes; nam primo modo cōsiderati omnes venti humectādi, & refrigerādi naturā habēt cum Hip. superius; vndè necesse est etiā eosdem à niue spirare, à glacie, & gelu vehementi, & fluminibus, & stagnis, terraq. humecta, & perfrigerata. Si autem cōsiderentur venti vt facti sūt, atq. ex hoc, vel illo loco spirantes, ijdem interdum calidi sunt, interdum humidi, vel frigidi, vel sicci. Nam vt melius res intelligatur, duo de terra à sole eleuantur exalationes cum Arist. 2. metheor. cap. 1. illa quidem humida est, & græcè ἀτμὶς appellatur, lati-

latinè verò vapor; alia vero ficca eſt, atque græcè καπνον dicitur, ſiuè fumus latinè, vel exalátio. Eſt autem neq. humidum ſinè ſicco, neq. ſiccum ſine humido ſubdit deinde ibidem Ariſt. videlicet neq. vapor ſine exalatione, neque exalatio ſine vapore eſſe poſſunt, ſed omnia hæc mixtim eleuantur; dicuntur tamen ſecundum exceſſum, quia vbi humidum prędominatur vapor dicitur, vbi verò prædominatur ſiccum dicitur fumus, vel exalatio. Cauſa autem cur altera ſinè altera ex dictis exalationibus eleuari non poſſit, eſt quoniam nulla illarum in ſua ſimplicitate reperiri poteſt; ideò vapor, à quo pluuia, & exalatio, à qua fiunt venti, ſimul ſemper à ſole eleuantur; & quoniam amplius plus ſemper vaporis reperitur in principio dictæ eleuationis, quam exalationis, ideo venti refrigerandi, & humectandi naturā habent in principio ipſorum generationis vt Hipp. 2. de dięta adducto aſſerebat. atq. ex aqua, vel niue venti ſpirant, à gelu, fluminibus, ſtagnis, & ſimilibus: nam exalatio niſi humida ſit à ſole eleuari non poteſt, quoniam humidum eſt, quod à calore ſolis rareſit, & in vapores conuertitur; progreſſu vero tempo-

ris,& actione solis prosequente,ijdem vapores attenuantur, segreganturq. ab ijsdem exalationes siccæ,& venti fiunt, qui deindè natura sua calefaciendi, & exiccandi vim habent; nam substantialiter fumus sunt calidæ,siccæq. exalationes ijdem,vt ex Arist.in probl.& alibi affirmatur. Cum denique vẽti, vel prædictæ exalationes calidæ, & siccæ per varia loca propelluntur, & fluunt, tunc humidi, frigidi, vel alio modo venti fiunt cũ Hipp. & Arist. & sic nulla denique contradictio inter eosdem reperitur, vt paulò antè arguebatur.

Denique maritimus locus dicebatur cum Hipp.lib.percept.ad sanitatem commodus est, sed venti australes sunt maritimi, igitur non insalubres. Huic argumento responsum exibendo primo negari potest, omnes ventos australes maritimos esse, quamquam his in nostris regionibus tales sint. Secundo aliud est loqui de loco maritimo,aliud verò de ventis,nam ob placidas aspirationes,maritimus locus, quas recipit à mare, salubris est;mare enim propter easdem aspirationes salubritatem insignem facit, inquit Arit. 1. probl.54. vnde nauigãtes coloratiores existunt;

ſtunt; ventus autem auſtralis quamquam maritimus, non ſalubris eſt, præſertim verò ab eodem mare valde diſtans; dico autem valdè ab eodem mare diſtans; nam venti auſtrales propè mare interdum proſunt, vt infrà Ariſt. melius docet; ſiquidē propè mare infrigidatus eſt, non autem calidus, & ſic non nocet à mare auſter, & propè, ſicuti de longe receptus. Auſtri igitur ſicci, vel inaquoſi, vt audiuiſtis, febres excitant; qui autem aquoſi ſunt, quoniam aqua frigida eſt, atq. frigus putrefactioni aduerſatur, hi ad febriū generationem inepti ſunt; quod autem auſter à pluuia infrigidatus non obſit, probat Ariſt. exemplo plantarum; vndè inquiens in fine problem. præſentis, auſter ex mare etiā plantis confert, infrigidatus enim ad eaſdem accedit. Siccus autem auſter æruginem producens plantis maximè obeſt: ſpecies enim morbi in plantis eſt ærugo, vt ex Theophraſto habemus 4. de hiſt. plant. cap. 15. & 3. de cauſis Plant. cap. 7.

PROBLEMA XXIV.

Cur corpora humana se tardiora, debilioraq́ sentiant, cum austri afflant? An quia multum ex paulò tunc redundat humoris, quem deliquescere tepor coegit, exque leui afflatu grauis humor excitatur. Adde quod vires nostræ in articulis conditæ sunt, qui austrinis laxari flatibus consueuerunt. constat id ex eorum crepitu, quæ pridem conglutinata tunc remittuntur, ac resoluuntur, Tenax etenim humor, qui articulis inditus est, vt concretus, nos moueri non patitur, sic nimis humefactus intendi minimè sinit.

DISPVTATIO XXXII.

EST in hoc loco Aristot. quemadmodum in alijs quam plurimis, Hypocratis veluti explanator atq. defensor: nam eorum, quę dixit Hipp. in aphor. & ibi, rationem quærit redditq. nimirum au-
i dixerat Hipp. in 3. aphor. cōtex. 5. audi-
m hebetant, caliginem visui offundunt,
put grauant, tarditatem ac languorem
ducunt; quam sententiam repetit etiam in
). de humoribus. & lib. de aere, aquis, & lo-
s, venti, inquit, in Asia sunt plurimi austri-
, vndè imbecille etiam vniuersum Asiano-
m genus. huius ergo Hipocraticæ conclu-
onis Arist. rationē quærens, an quia dicit,
ultum ex paulò tunc redundat humoris,
em deliquescere tepor coegit; exq. leui
flatu grauis humor citatur: Adde quod vi-
s nostræ cōdite in articulis sunt, qui austri-
s laxari flatibus consueuerūt. Duas affert
pradictę Hipocraticę cōclusionis rationes
rist. & prima ratio est, ideò corpora tardio-

ra,

ra, debilioraq. esse cum austri afflant; quoniam multum ex paulò tunc redundat humoris: nam ventus australis est calidus, & humidus natura sua, suaq. caliditate agendo in corporibus nostris humiditatẽ attenuat, atq. colliquat; quæ deindè colliquata humiditas, & quodammodò aucta, relaxat partes motui destinatas, & ideò totum corpus debile, tardumque redditur: nam virtus in sicco potius consistit, quam in humido: Vnde Hipp. in lib. 2. de dięta exercitatio exiccat, & corpus robustum facit asserebat. Alexander etiam Petronius in lib. cui titulus de victu Romanorum inscriptus est, tres inquit morbi sunt vernaculi vrbis Romæ, nempe capiplenium, repletio, & languor; atq. huiusmodi nulla alia ratione nisi propter excessum humiditatis, cui Roma subiecta est.

Alia ratio cur venti australes tardiora, debilioraq. corpora reddant, est ex Arist. quoniam vires nostræ, tanquam in instrumento principali, consistunt in articulis, qui quidem articuli austrinis laxantur flatibus: nam vt legitur in Hipp. lib. de articulis sect. 3. alligantur vertebræ inter se mucoso, ac neruoso ligamento. mucuoso inquam ligamen-

mento, quoniam vt benè etiam Gal. in com. adnotat, circa ipsas vertebras innatum est vinculum mucosum, hoc est glutinosum, & quasi pituita plenum, vt vertebrę promptius moueantur, ipsumq. vinculum minus lædatur; in vehementi enim motu abrumpuntur, quæ sicca sunt, & sine humore, atq. idcircò, qui loris ad vehicula, & iumenta vtuntur, ipsa inungunt, quamquam huiusmodi mucosus humor in omnibus articulis ob eandem causam inuenitur. Et lib. 13. de vsu partium cap. 8. idem Gal. de eodem mucoso humore circà vertebras sic loquebatur; At etiam humor viscosus huic tunicæ est circumfusus, quo modo, & tunicæ spondilos colliganti, & articulis omnibus, & linguæ, & laringi, & meatui vrinario, & oculis pinguedo, & vt summatim dicam omnibus ijs, quæ moueri assiduè oportebat: metuēdum enim erat ne exiccata quidem ipsa dolerent, ac tandem actiones ipsæ labefactarentur, quod homines imitati curruum axes, atque plaustrorum vngunt prius succo humido, ac viscoso, quo nihil illa patiantur, & moueantur celerius. mucositas igitur, siuè humor quidam viscosus reperitur in ipsis articulis, qui hu-

humor vi venti auſtralis liqueſcit, atque articuli ijdẽ ad labores intendi nõ poſſunt, inquit Ariſt. vnde ꝓptereà homines tardiores, debilioreſq. à flatibꝰ deindè efficiũtur. Quod autem auſtri hac ratione tardiores, debileſque efficiant homines, nempè relaxando articulos, atque mucoſitates in ijſdem exiſtentes colliquando; probat Ariſt. ex eo quià tunc temporis crepitant articuli ijdem, hoc eſt temporibus dictis humidioribus ſonum quendam efficiunt articuli ad inſtar crepitus, vt in aqua accidit, quandò partes eiuſdem ad inuicem, ſe ſe ipſas percutiunt. hi inquam veluti crepitus in articulis fiunt hominibus cum auſtri efflant. Debiliora itaq., tardioraq. corpora animalium redduntur flantibus auſtris, quoniam multum ex paulò fit, nec non etiam articuli, in quibus inſtrumentaliter vis reſidet omnis, laxantur: nam mucoſus humor in ijſdem articulis exiſtens, quemadmodum nos moueri non ſinit, cum nimis concretus eſt, ità etiam liquatus, laxatuſque intendi minimè ſinit. ideòque Achilles, referente Plutarcho in ſympoſiacis, equos ſuos in ocio deſidentes, apio paſcebat: nam apium vrinam ciendo, cum Gal.

2. de

2.de aliment. facult. cap.5 2. laxatæ humiditatis circà articulos existentis quantitatem corrigit, nec non etiam concretæ sua calididitate attenuendo, dissoluendoque occurrit.

Et hæc sunt quæ Arist. in præsenti probl. breuiter habet, circa quæ occurrunt aliquæ dubitationes. Primaq. dubitatio, quæ sese offert diluenda,oritur ex verbis ipsius Arist. in probl. Nam ideò corpora tardiora, debilioraq. redduntur ex austris inquit Aristot. quoniam multum ex paulò tunc redundat humoris, quem deliquescere tepor coegit, exque leui afflatu grauis humor citatur, quasi leuis sit flatus ipse auster dicet aliquis; & nihilominus experientia contrarium videtur, fortis enim ventus auster est, interdũ validus,furens, stridensq. Vnde Ouid. in 1. trist.concinens.

Hæc precor euincat, propulsaq. fortibus austris.

Horat. lib. 1. epist.

Nec si te validus iactauerit auster in alto.

Virg.lib.1.Aeneid.

In segetem, veluti cum flamma furentibus austris incidit.

Et

Et deniq. Syll. lib. 6.

Sic tibi migrantem torquens, stridentibus austris.

Cur ergo auster leuis ventus nunc dicitur ab Arist. dubitabit aliquis.

Respondetur quod duplex est ventus auster cum Gal. 1. de morb. vulg. sect. 1. com. 1. nempè mitis, & leuis, qualis magna ex parte esse solet, necnon etiam vehemens, & fortis; Igitur non malè loqutus est Arist. quandò in probl. nostro leuē ventum austrum appellat, nam vt leuis præcipuè nocet, siquidem, vt leuis etiam calidus, & humidus est cum Gal. ibidem. Ratio autem cur leuis auster sit calidus, & humidus, non verò fortis, & vehemens, fertur à Phyloteo, vt recenset Septalius in com. aphor. 3. lib. nam calidus est leuis auster inquit, quoniam exalatio est transiens per partem australem calidissimam; humidus vero est, quoniam lento suo motu, & placido vapores humidos ex aquis eleuatos secum ducens, corporibus etiam inducit. qui enim blandè mouetur, quod obuiam inuenit tale ducit, quale reperit; qui verò violenter agitur, præterquamquod, & nubes, & humiditates omnes obuiam factas dissipat,

& dis-

& dissoluit, ambientem nos aerẽ vehementius mouens, nouumq. sæpe introducens, frigidus etiam aliquando persentitur. Vnde leuis,& fortis est ventus auster,vt audiuistis. Est autem leuis atq. mitis præcipuè in principio sui motus cum Hippocrate in lib. de morbo sacro,his verbis alloquẽs;Auster autem contraria huic operatur,primo enim incipit compactum aerẽ liquare, ac diffundere, quapropter etiam non statim magnus spirat, sed primum lentus, ac leuis est, quoniam aerem statim superare non potest, qui prius densus est,& compactus,sed temporis progressu ipsum dissoluit; quæ eadem ferè Theophrastus repetit in lib.de ventis.

Secunda dubitatio oritur ex alijs Aristot. verbis in eodem probl. constat, asserens, ex eorum crepitu, quæ quidem conglutinata tunc remittuntur, & resoluuntur. Videtur falsum,dicet aliquis,quod crepitus fiat à dissolutis,& ijs, quæ prius conglutinata erant; nam crepitus sunt species soni, sonus autem cũ Arist.tex. 78. 2. de anima oritur ex collisione aeris, vel eiusdem fractione, vt ità dicam, facta à corporibus sese inuicem verberantibus, neq. quorumlibet corporum ictus so-

ſonus eſt ſubdit ibidem Ariſt. nam lanæ,& ſi percutiantur,ſonum non faciunt,ſed ęs,exẽpli gratia, argentum, & alia ſimilia ſonum faciunt,læuia,concaua,denſa. ergo non diſſoluta, & liquata ſonum facere poſſunt ſiuè crepitum,vt inquit Ariſt.in problemate.

Reſpondetur liquata,& mollia vtique, vt mollia ſunt, quemadmodum humiditates craſſæ, & colliquatæ, ad ſoni generationem inepta omnino eſſe, ſi autem fortè fortuna aliquem ædunt ſonum, hoc non vt mollia, ſed vt dura, & denſa efficiunt; partes enim ſubſtantiæ mollis in aliqua parte coaceruatæ, & vnitæ gerunt vicem rei denſæ, & concauæ,& ſic vt denſæ, non vt molles ſonum efficiunt; quemadmodum exempli gratia ſi quis corrigia, vel virga aerem percutiat, fit ſonus; ac tamen duo corpora ſeſe collidentia denſa requiruntur ad ſoni generationem cum Ariſt.ſuperius, hic tamen nõ niſi vnum reperitur, nempè virga; aer tamen colliſus ſecundum diuerſas partes gerit vicem medij,nempè aeris colliſi,in quo ſonus,necnon etiã corporis collidentis alterius; vehementer enim motus ſecundum vnam partem congregatur,& verberat, ſecundum aliam,

verò verberatur, & sic vna res potest gerere vicem rei mollis, & duræ; vndè etiam medium, & causa efficiens soni esse potest, quemadmodum laxatæ, & colliquatæ humiditates sunt, cum crepitus edunt, faciuntque, idem enim in aqua experitur, dum secundum partes, partes eiusdem sese inuicem percutiunt, patet etiam in aere, vt ventus ipse idem nobis probat, cum fortiter, atq. vehementer spirat.

PROBLEMA XXV.

Cur per æstatem magis aduersa valetudine laboretur, per hyemem verò magis qui laborant emoriantur? An quià calor, qui per hyemem intus propter corporum densitatem coercetur parum adiuuat, nec labor operum, qui amplius per id tempus suscipitur, excrementa humorum, potest concoquere, ideò validam esse mali originem ne-

cesse est : quod cum ita sit, perniciosum morbum vrgere ratio est. Contrà, in æstate, quoniam corpus vniuersum rarum, refrigeratum, resolutum, atq. laborum impatiens est. idcircò morbos plures quidem oriri necessarium videtur, videlicet ob lassitudinem, cruditatemq. ciborum : noui enim fructus tunc adsunt: non tamen ità validos esse naturæ ratio patitur, quamobrem facultas hiscè succurrendi datur facilius.

DISPVTATIO XXXIII.

DVO examinat in præſenti probl. Ariſt. vniuerſalia circà morbos; & primum eſt cur per æſtatem magis aduerſa valetudine laboretur? Circà quæ verba illud magis præcipuè numericè intelligendum eſt, nimirum frequentiores cur morbi in æſtate ſint, quam in hyeme? ſecundum verò eſt circà hyemem, cur nempè in hyeme ægri magis moriantur, quam in æſtate. Et breuiter ſecundo primũ ſatisfaciendo quæſito; An quià reſpondet Ariſtoteles calor, qui per hyemem intus propter corporum denſitatem coercetur parum adiuuat, nec labor operum, qui amplius per id tempus ſuſcipitur, excrementa humorum poteſt cõcoquere, ideò validam eſſe mali originem neceſsè eſt; quod cum ità ſit pernicioſum morbum vrgere ratio eſt; videlicet morbi periculoſi ſunt cum Gal. aut propter magnũ receſſum ægri à ſtatu naturali, vel quia cau-

ſa magna eſt, aut deniq. quia nobilis eſt affectus locus, nobiliſq. facultas. Cum autem in hyeme ægrotant homines, maxima, & valida de cauſa afficiuntur; propterea etiam pericula magis ſubeunt, & intereunt: Nam calor naturalis eſt omnium operũ cauſa inquit Gal. 1. aphor. ſuper contex. 15. inutilia euacuans, & etiam omnia, quæ in corpore ſecundum naturam continentur, vnà digerens. Neq. aliud quicquam eſt natura animalium præter hoc calidum ſecundum Hipp. opinionem. Sed ſic eſt quod idem calor naturalis in hyeme maior eſt, atq. validior; ergò cum in hyeme ægrotant homines maxima de cauſa ægrotare veriſimile eſt, ideòq. pereunt, vel moriuntur. Quod autem magnus, & validus ſit in hyeme calor naturalis præterquamquod experientia cõſtat, docuit ante omnes Hipp. in 1. aphor. 15. ventres inquiens hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, quarè per ea tempora copioſiora ſunt exibenda alimenta; & calidiſſimi, inquit Gal. in com. calore naturali intelligẽdi ſunt: Cauſam verò ſubdens, ob quam calor naturalis in hyeme augeatur Ariſt. dixit; refugit enim propter circumſtantem ex-

extrinsecus frigiditatem calor naturalis huiusmodi tempore, & in profundum secedit, ibidemque continetur, cohibeturque; continetur inquam à frigore cõdensante extimas corporis partes: cohibetur verò ab eodem frigore calori naturali contrariante.

Secundum quod examinandum proponebatur ex Aristot. erat. Cur per æstatem magis aduersa valetudine laboretur? Et an quia, dicebat, quoniam corpus in æstate vniuersum rarum, refrigeratum, resolutum, atque laborum impatiens est; idcircò morbos plures quidem oriri necessarium videtur; videlicet ob lassitudinem, cruditatemq; ciborum; noui etenim fructus tunc adsunt, non tamen ità validos esse naturæ ratio patitur, quamobrem facultas hisce succurrendi datur facilius. Nimirum contrarium accidit in æstate, ei quod in hyeme superius dicebatur. nam in æstate calor naturalis minor est, quam in hyeme, minusq. pollet; cum pori aperti sint, atq. à calore ambientis in æstate spiritus ad exteriora maximè euocentur; cum autem calor dictus naturalis debilis sit in æstate, ergò ex leui causa superatur, & leui etiam de causa morbi oriuntur, ideò-

que morbi ijdem æſtatis ſanabiles, neq. læthales, vt plurimum, quamquam plures oriantur; morbi inquam plures ob laſſitudinem, atq. ciborum cruditatem declarat inſuper Ariſtot. cum, & recentes fructus tunc temporis etiam adſint.

Sed morbos plures propter cruditatem ciborum in æſtate fieri, videtur abſurdum dicet aliquis: ſi quidem cum Hipp. 3. aphor. 21. æſtate febres cõtinuæ fiunt, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris vlcerationes, genitalium putredines, & ſudores; huiuſmodi autem morborum plurimi à putredine fiunt; igitur non ex ciborum cruditate.

Reſpondetur, morbos in æſtate fieri plures propter cruditatem ciborum dixiſſe Ariſtotelem, non quia omnes morbi æſtatis ſemper à cruditate proficiſcantur, ſed quia ad pluralitatem morborum etiam cruditates ciborum concurrunt, quæ tunc temporis morborum cauſæ præcipuè ſunt, & maxime adſunt; Vndè 1. apho. 18. æſtate, & autumno cibos difficillimè ferũt, inquit Hipp. hyeme facillimè, ſecundũ locũ ver habet; difficillimè

mè autem feruntur in æstate cibi, quoniam calor naturalis debilis est, atq. internè corpora hominũ refrigerata sunt quodammodò cum Aristotele; concoctio autem prædictorum ciborum à calore fit, concoctio inquiens Arist. idem 4. methor. est perfectio à naturali, & proprio calore. Vndè cum in æstate hic idem calor deficiat, deficit etiam & concoctio, atq. inquinatio, vel cruditates sequuntur.

Secundò, cum autem cruditatem dico, inquit Gal. in lib. de constit. art. med. cap. 15. non modò errorem concoctionis, quæ in ventriculo fit intelligo, verum etiam in iecinore, in venis, ac tandem in vniuersa corporis mole. Prima autem, secunda, & tertia concoctio vitiari possunt; de qua igitur concoctione, siuè cruditate intelligit in præsenti probl. Arist., cum cruditatis meminit?

Profectò vt optimè docuit Gal. de qualibet concoctione cruditas dicitur, at antonomasticè de prima concoctione intelligitur, & de hac cruditate intellexit etiam Aristot. quamquam per accidens, & secundario etiã de reliquis duabus secunda, & tertia; nam

errores primæ concoctionis neq. in secunda, neq. in tertia corriguntur, & saltem quoad substantiam, licet qualitatiuè id fieri possit.

Tertio oritur dubitatio ex illis verbis problematis, noui etenim fructus tunc adsunt, vtrum scilicet recentes fructus cruditates efficiant, vt per dicta verba ex Aristot. indicatur; nam cruditas est alimenti inconcoctio; sed sic est quod recentes fructus facilius concoquũtur quam seniores, pręcipuè si de horarijs intelligamus; igitur cruditates non faciunt; Quod fructus recentes faciliores sint concoctionis, videtur asserendum ex eo, quia sunt humidiores; sicciora etenim difficilius concoquntur quam humida; nam concoctio alimenti est species elixationis cũ Aristotele vt alibi diximus; elixatio autem fit à calore humido, igitur humidiora sunt etiam ad cõcoquendum faciliora, quemadmodum fructus recentes sunt.

Respondetur quod humida facilius concoquũtur, quam sicca, sed non valdè humida, vt fructus recentes sunt, qui propter multam humiditatem incrassari non possunt, & concoctio incrassando celebratur cum Aristotele 4. metheorol. cum itaq. fructus recen-

tes,

tes,atq. præcipuè horarij valdè humidi sint, sequitur etiam quod difficilius concoquantur,cruditatesq. efficiant. Vel fructus recentes in æstate sunt in causa cruditatum, quoniam in multa quantitate æduntur; etenim ab externo calore exiccati homines, de dictis fructibus horarijs, atq. recentibus plurimum sumunt,tanquam humidioribus, atque siti contrarijs; & sic fructus recentes in æstate sunt maximè cruditatum causæ, atq. plurium morborum cum Arist. in problem. nostro.

PROBLEMA XXVI.

CUr post vtrumlibet solstitium, per centum dierum spatium mori maximè accidat? An quod eatenus vtraque vehementia caloris, & frigoris se dilatat, quæ morbos, pernitiemq. afferre infirmis potest?

DI-

DISPVTATIO XXXIV.

QVATVOR sunt puncta principalia zodiaci, quæ cardinalia dicuntur, quibus totus zodiacus in quatuor quadrantes distribuitur, & quadrantes deindè singulis anni partibus correspondent; quamquam medici aliud sensiant, vt in superioribus audiuistis. Sunt autem prædicta puncta cardinalia principium Arietis, Cancri, Libræ, Capricorni; Principia ♈, & ♎ dicuntur æquinoctialia, nam in punctis ijsdem dies noctibus adæquantur: alia autem duo puncta, scilicet ♋, & ♑ dicuntur solstitialia; nempè principium ♑ dicitur solstitium hyemale, vel bruma; principium vero ♋ appellatur solstitium æstiuum. nominantur autem huiusmodi dicta puncta solstitia, latinè, quià scilicet in ijsdem quasi stet sol à suo motu; nam idem sol in solstitio æstiuo non potest amplius ad nos accedere, sicuti in hyberno non potest magis à nobis recedere; incipit enim sol in solstitio hyberno, cum non potest amplius

plius recedere, ad nos iterũ accedere, & vsq. ad aliud solstitium, nempè ad solstitium ęstiuum, continuò in qualibet die per sex menses sese appropinquat ad nos per vnum gradum; cum verò peruenerit sol ad dictum æstiuum solstitium, tunc desinit ad nos appropinquari, & recedere incipit, sicq. recedens per vnum gradum quotidiè, durat per aliòs sex mẽses, vbi verò peruenerit ad solstitium, tunc desinit à recessu, vel stat ab alienatione dicta, atq. solstitium, siue solis statio, vt dixi latinè appellatur; Græci vero prædicta puncta appellant τροπάς, hoc est conuersiones, quoniam cum sol peruenit ad dicta puncta, neque potens amplius est à nobis recedere, vel ad nos accedere, quodammodò conuertitur, vndè cõuersiones, vt asserebam. ab his ergò conuersionibus, siuè solstitijs per centum dies mori maximè accidit; quęrit huius rei rationẽ Aristoteles; & an quia, inquit, eatenus vtraq. vehementia caloris, & frigoris sese dilatat, quę morbos perniciemq. afferre infirmis potest, idest in solstitijs, in quibus sol vel est remotissimus à nobis, & nostro emisphero, vel in vltimo gradu proximus, sunt excessus caloris, vel frigoris, caloris in

sol-

solstitio æstiuo, frigoris vero in solstitio hyemali. Hi autem excessus durant per centum dies, ideò etiam per centum dies post à solstitijs dictis mori maximè accidit; exuperantiæ enim committendi morbos vim habent cum Aristotele in superioribus; & sanitas consistit in rerum commoderatione cum Gal. quæ quidem commoderatio cum per centum dies à solstitijs dictis absit, abest etiam sanitas, & mori contingit. Quod autem immoderantia qualitatum à solstitijs, & in solstitijs adsit, res est clara, & de brumali concinens Virg. lib. 2. Aeneid.

Frigida sub terra tumidum, quem bruma tegebat.

Martial. etiam lib. 10.

Quando breuis gelidæ missa est toga, tempore brumæ.

Senec. traged.

Aut rigida cum iam bruma discussit decus.

Et deniq. Pont.

Obliquat sese in Lyben, vndè horrida bruma aduentat.

Balbus sub Ioue nudus ago glacialis frigora brumæ.

Sed

Sed à solstitijs quia excessus adsunt caloris, vel frigoris interire ęgros, estò dicet aliquis, at per centum dies negatur; nam post nonaginta dies, non autem centum à solstitijs sol in æquinoctialibus punctis reperitur, cum autem in æquinoctijs est sol, tempora moderata sunt, neq. excessus adsunt caloris, vel frigoris.

Respondetur verissimum esse, quod excessus caloris, vel frigoris præcipuè ad æquinoctia vsq. fiunt; sed quoniam illi decem dies, qui deindè sequntur, participant de dictis excessibus, ideò etiam per illos decem dies adhuc mori contingit, & sic per centum dies à solstitijs, vt Arist. in pr bl. docet.

Prætereà autumno morbi acutissimi, & exi iales magna ex parte fiunt, ver verò saluberrimum, & minus exitiale docet Hipp. 3. aphor. 9. nec non 2. epid. sect. 1. igitur non per centum dies à solstitijs mori maximè accidit.

Respondetur, autumno morbos acutissimos magis fieri, & exitiales simul, non quidem respectu omnium tẽporum, & dierum centum à solstitijs dictis, intelligere Hipp. in aph. at respectu veris; ver scilicet, tempus

sa-

salubre est, autumnus autem minus salubre? & quamquam mori contingat hominibus in vtroq. tempore, magis tamen docet Hipp. moriūtur ægri in autumno, quam verè, quia frequētiores sunt morbi acuti, & exitiales in autumno, quam in vere dicto; licet in totum, & respectu omnium anni temporum mori accidat magis à solstitijs, & per spatium cētum dierum, vt dicebatur.

Denique post vtrumlibet solstitium per centum dierum spatium mori maxime accidit habemus in probl. sed quibus mori maximè accidat nunc quæret aliquis? An ægris solum longo morbo laborantibus, vt in superioribus de hyeme dicebatur, an verò omnibus alijs? Et breuiter non de ægris longo solum morbo laborantibus intelligi, ego dicerē, at de omnibus, vel pluribus alijs ægris, siuè longo, siuè breui, vel acutiori morbo teneantur, siquidem vtraq. vehementia caloris, & frigoris morbos, perniciemq. ægris afferre potest, subdit Arist. in fine probl. Morbos itàq. dicit, cōmuniter loquendo, non autem morbos longos; & ægros insuper genericè ait, non autem ægros longa valetudine conflictatos.

PRO-

PROBLEMA XXVII.

CVr ver, atq. autumnus morbis infeſtent? An quià mutationes graues omnes occurrunt: ſed autumnus verè grauior eſt, quia corpore calidore frigeſcente, quam frigido incaleſcente potius ægrotamus. Vt igitur vere frigidum recaleſcit, ſic autumno calidum refrigeſcit.

DISPVTATIO XXXV.

VER principium eſt anni, incipit autem quando ſol in primo puncto Arietis reperitur; ſecundum aſtrologos, vt alibi diximus, durat vſq. ad finem geminorum; ſecundum medicos verò vſq. ad ortum pleiadum; temperamentum ipſius eſt calidum, & humidum, quoniam inter æſtatem, & hye-

& hyemem hoc tempus medium est, atque vtriusq. particeps in æquali mensura. dicitur autem ver à virore teste Varrone lib. 5. de lingua latina, siuè à vigore, cum omnia vigorem emittant, quæ enim diù clausa, & prefrigore compacta erant, in hoc tempore aperiuntur; & quæcunque hyeme, veluti mortua videbantur, siuè extincta, in vere dicto reuirescunt, & vigent. Autumnus etiam, quando sol primam partem libræ ingreditur incipit secundum astrologos, secundum medicos verò arcturo sydere oriente; est temperamento proprio frigidus, & siccus, atque temperamento veris omnino contrariatur: & quemadmodum in vere omnia vigorem adipiscuntur, ità etiam in autumno imbecillia fiunt; His verò nunc positis, atq. de vere, & autumno perlibatis, morbi omnes omnibus temporibus fiunt cum Hippocr. 3. aphor. 19. quidam verò magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & exacerbantur; Vnde verè legitur ibidem aph. 20. furores, & morbi melancolici fiunt, & comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tuber-

bercula, & artioulorum dolores. Autumno autem plurimi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ intercutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & leuitates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & asthmata, voluuli, morbi comitiales, furores, & melancoliæ.

Cur ergò vere, & autumno etiam morbi fiant, quærit huius rei in præsenti probl. rationem Arist. & an quia, dicit, mutationes omnes graues occurrunt? omnis mutatio grauis est docebatur superius in probl. 15. igitur cum in vere; & autumno mutationes accidant, etiam morbi enascantur necessè est; quod autem verè, & autumno mutationes fiant, probat Aristoteles in vltimis verbis præsentis problematis; Vt igitur inquiēs, vere frigidum recalescit, sic autumno calidum refrigescit, sed refrigerari vel calefieri sunt species mutationis; igitur vtiq. mutationes aliquæ in vere, & autumno fiunt, & per consequens ijdem menses graues sunt, atq. morborum procreatores.

Autumnus vere grauior est, subdit deindè in probl. Arist. at contrariorum eadem est

ratio, & disciplina cum philosofo in contrarium dicet aliquis; non magis ergò autumnus grauis erit, qui frigidus, & siccus est, quam ver calidum,& humidum.

Respondetur quod ratio, cur autumnus vere grauior sit cum Aristotele,est quoniam corpore calido refrigescente, vt in eodem autumno accidit, potius ægrotamus, quam frigido incalescente, sicut in vere etiam fit; quamquam plures aliæ adsint rationes ex Gal.in com.3.context.9. 3. aphor.; nempè autumnus grauior est vere, inquit Gal.quoniam in eadem die modo calor, modo frigigus fit;secũdò quia autumnus æstiuum tempus sequitur, in quo multi solent assari humores;Tertio quia vires prædictæ ob æstatis calorem debiles euaserũt. Quarto quoniam in æstate humores ad cutim mouebantur,& euaporabant; in autumno verò ob aeris frigiditatem repelluntur, & in interioribus retinentur. Quinto denique quoniam tunc temporis nõ solum adest plenitudo consueti cibi,at fructuum quoq., qui succos ad putredines maxime aptos generant, vt alibi superius dicebamus, nam fructus per aestatis calorem maturi euadunt,sunt autem per-

fecte

secte maturi in fine æstatis; & autumno præcipuè in quo tempore deindè colliguntur. Vndè Virg. 2. Georg.

Pomifer autumnus tenero dat palmite fructum.

Omnes totius anni labores in hoc tempore colliguntur, aptisq. locis reponuntur, ideoq. ὀπώρη græcè hic mensis appellatur, hoc est fructuum receptio; latinè verò dicitur Autumnus, ab augendo, nam fructus, & fruges augentur atq. in horreis cumulantur.

Non obstat etiam quod contrariorum eadem, sit ratio, & disciplina cum Aristotele, nam id valet si contraria in abstracto cõsiderentur, non tamen in ordine ad hanc, vel illam operationem; consideratis enim dictis duobus temporibus, autumno scilicet, & vere in ordine ad vitam, quæ in calido, & humido consistit cum Aristotele, vtiq. non eadem erit ratio frigoris cum siccitate, atq. caloris cum humiditate; frigido enim recalescente minus ęgrotamus, quam calido refrigescẽte; frigido morimur, & calido viuimus, vel in vita conseruantur homines; Ideòque Hipp. omnium medicorum sapientissimus 5. aphor. 19. 6. epid. com. 5. tex. 8. & lib. de hu-

midorum vſu; quæ frigefacta ſunt, excalefacere oportet, non autem calefacta è contra refrigeranda eſſe, docet, nimirum calefacta refrigerare, grauior eſt mutatio, quam refrigerata calefacere cum Ariſtotele in præſenti probl. & pulcherrima ſane ratio eſt.

PROBLEMA XXVIII.

CVr per hyemem minus quidem, quam per æſtatem, ſed pernicioſius ægrotetur? An quoniam in æſtate morbi, vel parua de cauſa exiſtunt, quod in hyeme minimè accidit ita? ſumus enim tunc, & ad concoquendum, & ad benè valendum aptiores, itaq. ratione maiora, pernicioſioraq. mala sũt, quæ maiori de cauſa prouenerint. Quod idem in Atlethis, & omnino in ijs, qui ſecunda valetudine eſſe ſolent, licet perſpicere. Aut enim nullo morbo præmuntur, aut preſsi celeriter è vita de-

decedunt, quippè qui nisi magna cum causa ægrescere nequeant.

DISPVTATIO XXXVI.

NON differunt, quæ habet in hoc probl. Aristoteles, ab ijs, quæ superius in vigesimoquinto dicta sunt; plures nimirum æstate fieri morbos, sed in hyeme magis esse perniciosos; & easdem, hic affert, atq. ibi rationes; Ideò nempè accidere, quod in æstate facilius ægrotetur, pluresq. exoriantur morbi, in hyeme verò eosdem magis esse periculosos, quoniam in æstate causæ morborum sunt plures, sed minus validæ, in hyeme verò pauciores, at fortiores; cum in eadem hyeme corpora hominum plus valeãt, quam in ęstate, propter innatum calorem, quo tunc temporis etiam magis abundant; quapropter ad hoc vt ægrotent, & præter naturalibus affectibus capiantur, fortiores causas prærequirunt, cum debiles idem agere non valeant. Quod autem causæ morborum maiores sint in hyeme, atque

fortiores, quam in æstate, propter rationes superius allatas, probat Aristoteles exemplo athletarum,& aliorum, qui secunda valetudine esse solent;aut enim hi nullo morbo præmuntur, aut pressi celeriter è vita decceunt,subdit Aristoteles;quippè qui nisi magna cum causa ægrescere nequeant. Et vt melius exemplum hoc de Athletis intelligatur, scire est antiquo tempore in vsu semper fuisse,quemadmodum,& nunc fit,natura veluti iubente,homines, atq. præsertim pueros,vel iuuenes,varijs sciētijs,& artibus se addicere, prout ingenia eorum inclinabant,vel maiorum voluntas, atq. desideriū; Vnde alij litteris,alij grammaticæ,alij musicæ,alij verò picturę incumbebant puerorum cum Aristotele 8. politicorum. Gimnastica autem vt inquit Gal. ad Transib. nihil erat aliud quam ars varia exercitiorum genera compræhendens, vel gratia bonæ valetudinis conseruandæ, vel optimi corporis habitus acquirendi, atq. tuendi cum Mercuriali lib. 1. Gymnast. cap. 3. omnia inquam exercitiorum genera in se comprehēdens; Vnde Gal. 2. de sanit. tuend. Gymnasium, inquit, fuisse locum publicum in separata vrbis regio-

gio-

gione, in quo vngebantur, fricabantur, luctabantur, discum iactabant, aut tale quidpiam factitabant homines. Vel optimi corporis habitus conseruandi, atq. tuendi gratia, erãt alia verba definitionis gymnasticæ: siquidem licet finis vltimatus exercitationum gymnasticarum esset bellum, siuè victoria, nihilominus finis proximus erat bonus habitus, siue robur cum Aristotele ibidem; nam ad hoc vt bellum exerceri commodè possit, prærequiritur bonus habitus, vel optima corporis dispositio, qua mediante victoria, & præmia cõsequuntur: & quamquam vt asserebam in ordine ad bellum inuenta esset primum hæc ars gymnastica, nihilominus succedente tempore ad voluptatem translata est, & quod belli necessitas, vt inquit Plato primum inuenerat, auxit voluptas, & gloria; nam gymnasticæ exercitationes nulla alia ratione posteà à nonnullis frequentabantur, nisi vt præmia ludorum consequerentur. Apud antiquos enim tum græcos, tum etiam latinos, quibusdam in festis celebrabantur ludi, vt Olimpia, Nemea, Isthmia, Pythia, apud Romanos ludi seculares, vel alij huiusmodi, quos Panuinus præ-

 cipuè,

cipuè,& neotericè recenset,inquibus inquā ludis homines nonnulli fortes, & bene dispositi, atq. publicæ voluptatis causa inter se varijs certaminibus pugnabant, quiq. victores remanebant statuta præmia consequebantur; Appellabantur pugnatores dicti græcè ἀθληταὶ,hoc est certatores, qui scilicet præmiorum causa actu pugnant,vel ad eundem finem in gymnasijs corpora eorum exercent;quamquam Pollux hoc nomine ἀθληταὶ omnes gymnicos intelligat, παλαιστάς, δρομεῖς,πυκτάς,δισκοβόλους, & ἁλτικούς, scilicet luctatores,cursores,pugiles,discum in sublime iaculantes,saltus pernicitate contendentes, vel alij similes. Hi igitur Athletæ, atq. homines benè dispositi,vel fortes propter exercitia dicta, atq. corpore robusti, aut nullo morbo præmuntur,aut præssi velociter è vita decedunt; quippè qui nisi magna cum causa ægrescere nequeant. Vndè etiam Hippocr. in lib. de nat. hum. com. 2. context. 5. morbi, inquit, qui fiunt in valentissima parte,valentissimi sunt: Valentissimi inquam cū Aristotele hic, quoniam à valentissima causa proficiscuntur.

Sed circà hoc Arist. exemplum de athletis

tis dubitabit aliquis:nam Hipp. 1. aphor. 3. maximè damnat athletarum habitum, igitur habitus athletarũm non est bonus, neq. fortes,& bene dispositi viri athletæ sunt;habitus athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi sunt, loquitur Hipp. neq. .n. possunt in eodem statu permanere neque quiescere,cum verò non possint quiescere, neque possunt in melius proficiscere, reliquum est igitur vt in deterius decidant, his de causis bonum habitum soluere expedit: si inquam bonum habitum soluere expedit, ergò non bonus, vt hic docet Aristoteles.

Respondetur habitum athletarum esse vtique optimum, declarauit enim id præter Aristotelem,& alios,Plautus, cum pugilicè, & athleticè valere,pro optimè,& firmissimè valere intellexit. Neque etiam Hipp. id negauit.nam habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingit periculosus,verba sunt Hipp. qui vero habitus athleticus summum bonitatis non habet, non est periculosus respondetur : Sed cur periculosus, qui in summo bonitatis reperitur athleticus habitus? Quoniam neq. in eodem statu per-

ma-

manere, neq. quiescere potest, cum non possit vlterius proficiscere; quarè in deterius decidat reliquum est; ergò, inquit etiam Celsus, lib. 2. cap. 11. si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet; quæ quia neq. in eodem habitu substinere, neq. vltrà progredi possunt, ferè retrò quasi ruina quadam, reuoluuntur; res naturales, vel augentur, vel decrescunt semper, neq. in eodem statu permanere possunt; cum verò adeò acutæ sunt, vt vlterius progredi non possint, incipiunt decrescere, in quo decremento subindè malè se habent; ità igitur, & in athletis accidit, in quibus cum sanitas ad summum bonitatis peruenerit, neq. potest vlterius augeri, tunc decrescere incipit, vel infirmitas corporis aduenit.

PRO-

PROBLEMA XXIX.

CVr per autumnum, ac hyemem Καῦσοι potius oriantur, quæ tempora frigus præseferunt: per æstatem verò, cum æstus adsunt, rigores magis infestent? An quia in corpore hominis bilis calida, pituita frigida est. Itaq. per æstatem quod frigidum est dissoluitur, diffusumque horrores, tremoresque excitat. per hyemem autem quod calidum est vi temporis pressum refrigescit; febres tamen ardentes per hyemem, autumnumq. potius conflictant, quoniam calor pulsus à frigore introrsus se contrahit. Ardor enim non residet in summis, sed intrinsecus se expandit, atq. ita efficitur, vt ratione febres ardentes hyberno tempore oriantur.

tur. Melius id in ijs intelligi potest, qui aqua frigida, quique aqua calida se hyberno tempore lauerint; qui enim frigida se infunderint, ibi aliquandiu, dum diluerentur, friguerunt, reliquo toto die tuti à frigore sunt. At qui calida vsi fuerint, frigus diutius experiuntur. caro enim spissescit, calorq. introrsus se colligit eorum, qui se aqua diluerint frigida. Contrà autem ijs euenit, qui calidam admisere, caro quippè rarescit, calorq. ad exterum vsq. locum euocatur.

DISPVTATIO XXXVII.

CIRCA hunc textum primò examinandum est quid nomine Καῦσοι intelligatur, an scilicet febres ardentes sub hoc eodem nomine veniãt, an vero aliquid aliud: nam Hipp. 1. epid. sect. 2. constit. temp. 3. quibus au-

autem ardores, inquit, fiebant, καῦσοι græcè, significationem de se præbebant, quibus pernicies immineret, statim enim ab initio febris acuta adest. Igitur dicet aliquis καῦσοι, vel ardores cum febre acuta fiunt, non autem febres ardentes sunt. In lib. etiam de loc. in homine ardores verò ait idem Hipp. potionibus, & sorbitionibus quemadmodum febrem frigefactorio medicaměto exoluere oportet; atq. in primo lib. acut. morbi acuti legitur, pleuritis, & peripneumonia sunt, καῦσος, & alij morbi, qui ex his hærent, quorum febres continuę sunt, & occidunt. itaq. ardor differt à febre, neq. καῦσοι febres ardentes sunt, at cum febre esse possunt.

Ex altera verò parte idem Hipp. 3. de morbis num. 5. & frigidam, inquit, hanc dato ad omnem ardorem, & aliam febrem. Ergò ardor febris est, & ardēs febris, quemadmodum Arist. in præsenti dictione καῦσοι, febres ardentes intelligit; & ità etiam hæc dictio apud omnes ferè interpretatur. Non obstāt autem, quæ ex Hipp. in contrarium afferebātur: nam ardores cum febre acuta sunt, cum dixit idem Hipp. nō fecit distinctionem febris ab ardore, vel ardoris à febre, sed eo modo loquendi vsus fuit ad significandum, quod

quod vbi est ardor, est etiam febris acuta. Ardores dicebatur secundò loco potionibus quemadmodũ febrẽ frigefactorio medicamento exoluere oportet; queadmodũ inquã febrẽ, hoc est cũ sit febris, frigefactorio medicamẽto exoluere oportet, iuxta illud sæpe decantatum contraria contrarijs curantur.

Sicut etiã ad textũ primi lib. epid. morbi acuti sunt pleuritis, peripneumonia καῦσος, & alij morbi quorũ febres cõtinuæ sũt, hęc vltima verba nõ cadũt suprà καῦσος, at sup alios morbos acutos, qui quidem morbi acuti, de proprijs tñ loquẽdo, cũ febre continua sunt, vel à continuis febribus concomitantur.

His verò nunc positis de dictione καῦσος, Arist. in præsenti probl. supponit ardentes febres in hyeme, ac autumno magis fieri. Hipp. verò è contra lib. 3. aphor. 21. easdem recenset inter morbos æstiuos. An igitur circà hoc contrarij sint inter se Hippocr. & Arist.? Nequaquam responderem: nam febres ardentes numericè vtiq. plures fiunt in æstate quam in hyeme, vt optime Hipp. in aphor. docet: intensiuè verò magis accidunt in hyeme, hoc est maiores fiunt febres arden tes in hyeme, quam in æstate, vt Aristot. in probl. docet: In hyeme inquam, maiores accidunt

cidunt febres ardentes, in æstate verò rigores item maiores. Ratio est autem, inquit Arist., quoniam in corpore hominis bilis calida, pituita frigida est; Itaq. per æstatem, quod frigidum est, dissoluitur, diffusumque horrores, tremoresq. excitat, per hyemem autem, quod calidum est, vi temporis, pressum refrigescit; febres tamen ardentes per hyemem, autumnumq. potius conflictant, quoniam calor pulsus à frigore introrsus se contrahit: ardor enim nō residet in summis, sed intrinsecus se expandit, atq. ita efficitur, vt ratione febres ardentes hyberno tempore oriantur. Melius id in ijs intelligi potest, qui aqua frigida, quiq. calida se hyberno tempore lauerint, qui enim frigida se infunderint, ibi aliquandiù, dum diluerentur, friguerunt, reliquo toto die à frigore tuti sunt. At qui calida vsi fuerint, frigus diutius experiuntur. caro enim spissescit, calorq. introrsus se colligit eorum, qui se aqua diluerint frigida. Contrà autem ijs euenit, qui calidam admisere, caro quippè rarescit, calorq. ad exterum vsq. locum euocatur. Duo inquam sunt calores in internis partibus hyberno tempore, febris videlicet, qui à frigo-

re

re externo intus repellitur, atque naturalis; qui duo calores scilicet vniti, maiorem calorem efficiunt, maiores ardores deindè; in æstate autem è contrà à calore externo pori aperiuntur, & calor internus ad exteriora euocatur, vndè minores hac ratione febres ardentes accidũt, licet plures numero fiant, ratione bilis, quæ in æstate eadem generatur; sed licet in æstate nõ adeò magnę oriantur febres ardentes, nihilominus intensiores rigores accidunt, inquit Arist., quoniam frigidum dissoluitur à calore æstatis, dissolutumq. horrores, tremoresq. excitat. Circà quam Aristotelis rationem est aliqua difficultas, nimirum horror, siuè rigor (non enim hæc duo inter se differunt nisi secundum magis, & minus per Hipp. lib. 1. de morb.) rigor scilicet cum Gal. lib. de tremore, & palpit. c. 7. & alijs, fit ex ardore vtriusque bilis commotæ, non quidem in vasorum cauitatibus existentis, at per carnes, atque sensibiles corporis partes; ideòq. rigorem flauæ bilis, ab illo atræ distingui, qui non adeò vt ille, hic pungitiuus sit: atque Celsus lib. 3. cap. 12. rigorem, inquit, facit bilis in ventriculo existens, sed sic est, quod bilis

hu-

humor est calidus, ergò non quia frigidum in æstate dissoluitur, rigores fiunt, vt Arist. in probl. docet.

Respondetur pluribus modis rigorem cõsiderari posse, vel scilicet vt à quo, vel vt quod & effectus. Vt à quo autem vtiq. biiis in æstate, eiusdem est causa præcipua: experientia namq. constat, quod febres rigorosæ, biliosæ sunt, sicuti biliosæ vt plurimum rigorosæ; namq. bilis mordicando aliquam partem sensibilem, illa pars, vt se deinde à bile exoneret, conquassatur, conquassantur, & etiam cæteræ corporis partes, cum propter consensum omnes etiam concurrant, confluxus enim vnus, conspiratio vna consensientia omnia cũ Hipp. in lib. de alimẽto, & bilis in vẽtriculo existens, vt Celsus docebat, totius corporis rigoris causa est: namq. vẽtriculũ mordicando, totius conquassatio, & rigoris motus præternaturalis accidit, atque sic bilis est etiam causa rigoris. Si verò rigor consideretur vt quod, vel effectus, hic secundum Gal. lib. 10. meth. cap. 4. 2. de sympth. causis cap. 5. de diff. feb. cap. 7. est calidi innati vehemens, velox, nec non violenta refrigeratio, subita, & dolorifica, cum

totius corporis quaſſatione. Cum verò in æſtate frigidum à calore diſſoluatur,diſſolutumq. ſenſibiles corporis partes refrigeret, concurrit vtiq.ad quod rigoris, vel ad rigoris formalitatem efficiẽdam. Vel melius cõſiderando rigorem, quatenus eſt conquaſſatio, huiuſmodi fit à bile irritante cum Gal. ſuperius, vt vero eſt refrigeratio, ad id efficiendum in æſtate, concurrit etiam frigidi diſſolutio cum Ariſt. in probl. & ſic Ariſtoteles, & Gal. in generatione rigoris non differunt, diuerſo tamen modo eodem rigore conſiderato.

DISPVTATIO XXXVIII.

DICTVM fuit cum Gal. ſuperius, rigoris cauſam eſſe bilem mordicantem ſenſibiles corporis partes. Contrà quam concluſionem occurrũt multæ dubitationes. Et primò Galen. idem 10. meth.4.2.de ſymptho.cauſis 5.& 2. de diff. feb. 7. rigor ait eſt calidi innati vehemens, velox,nec non violenta refrigeratio, ſubita,

cum

cum totius corporis quassatione. sed sic est quod refrigeratio non potest fieri principaliter à bile, ergò neque bilis principalis causa efficiens rigoris asserenda est.

Secundo Hipp. 5. aphor. 17. frigidum, inquit, conuulsiones tetanos, liuores, & rigores febriles inducit.

Tertio in ijsdem aphor. rigores mulieribus ex lumbis incipiunt, sed viris parte posteriore magis. Gal. in com. huius rei rationem reddens, ideò mulieribus ex lumbis incipere ait rigores, quoniam lumbi partes frigidæ sunt, sicuti & femora, & cubiti, vel huiusmodi aliæ partes.

Res etiam auditu, visuq. formidabilis, cum Gal. lib. de tremore, & palpit. cap. 8. horrorem, rigoremq. inducit; & nulla quidem alia ratione, dicet aliquis, nisi quoniam in timore partes externæ frigescunt, vndè Horatius Flaccus, lib. 6.

Tenet exanguis rigor horridos artus.

Rigor itaq. à frigore fit, non autem à bile, nam si à bile amplius mordicante sensibiles corporis partes, rigor in febribus accideret, sequeretur quod non in principio febrium, at in fine id fieret, cum bilis etiam ad sensi-

biles corporis partes extrinsecas in fine trãsferatur, non aũt in principio, in quo tempore cuncta in interiora retrahuntur.

Et deniq. rigores mulieribus ex lumbis incipiunt cum Hipp. dicebatur superius, sed & viris parte posteriore magis, ex femore, & cubito. An, dicet aliquis, bilis mordicans primo in cubito, vel in femore reperitur? nequaquam. Si itaq. rigores in febribus fiunt non à calido, at frigore accidunt.

Quidquid tamen de his sit, quod experientia patet, non indiget vlteriori probatione. sensu ipso habemus in febribus rigorosis biliosa semper excerni; ergò bilis est quæ rigorem efficit, aut quid aliud eiusdem bilis vicemgerens.

Non obstant etiam, quæ in contrarium superius allata sunt: nam quo ad primum argumentum, rigor effectiuè vtiq. est calidi innati vehemens, velox, nec non violenta refrigeratio, sed causaliter eadem refrigeratio à bile proficiscitur sensibiles corporis partes interius mordicante; dum enim bilis mordicationem exercet in ventriculi sensitiua parte, exempli gratia, cõquassatur idem ventriculus pro dictæ bilis profligatione, ad

quam

quam efficiẽdam totius ſpiritus concurrunt (nam facultas expultrix ſpiritu mediante ſuas omnes exercet operationes) ſpiritus igitur à toto ad ventriculum retrahuntur pro expulſione dictæ bilis efficienda, vndè extrin ſecæ partes refrigeſcunt, & ſic etiam rigor refrigeratio eſt effectiuè, & per accidens, non autem cauſaliter, vt dicebatur.

Frigidum etiam cum Hipp. 5. aphor. 17. conuulſiones, tetanos, rigores facit: nam frigus ſupradictos ſpiritus (à quibus omnis calor in corpore fit) in interiora repellendo, in partibus veluti mordicationem inducit, tanquam per antiperiſtaſim ijſdem nimis excalefactis, vndè poſtea veluti etiam à bile rigores exurgunt.

Tertio mulieribus rigores ex lumbis incipiunt, & quoniam lumbi partes frigidæ ſunt cum Gal. vtiq. Sed rigores, reſpõdetur, vt frigefactio ſunt, non autem vt conquaſſatio: conquaſſatio enim primo incipit in parte à bile mordicata, refrigeratio verò in parte magis frigida propter retractionem caloris, vel ſpirituum ad interiora, vt dicebatur.

Quarto res auditu, viſuq. formidabilis cũ Gal. facit rigorem, horroremq., at non quia

principaliter externæ partes frigeſcant; per accidens enim externæ partes dictæ frigeſcunt à re viſu, vel auditu formidabili: conquaſſantur autem, quoniam ſpecies viſibilis formidabilis repreſentata imaginationi, & intellectui, facit timorem, tremoremq. accidit enim à re formidabili viſa, vel audita, rigor, quemadmodum à bile mordicante ſenſibiles corporis partes, vt ita dicam; nimirũ ſpecies formidabilis repreſentatur imaginationi, & intellectui, intellectus deindè iudicat eandem formidabilem; vt verò formidabilis eidem intellectui quodammodò mordicatiua eſt, atq. moleſta; cumq. moleſta ſit, cupit ab eadem ſe liberare intellectus, & ſic mouetur appetitus expulſionis, qui denique facultati præcipiens motrici, conquaſſatio ſequitur, vel rigor; aut materialiter magis conſiderando rigorem, à re viſu, vel auditu formidabili ſequitur rigor, dici etiam poteſt, quoniam res formidabilis inducit timorem, in timore ſanguis, & ſpiritus ad cor, tanquam ad arcem retrahuntur, vbi retracti ſpiritus ijdem tanquam multi, & nimis coaceruati calidiores, & acriores reddũtur, vndè mordaciores, ſicquè cor cum reliquis

cor-

corporis partibus conquassatur, tanquam à bile mordicante, & rigor accidit, veluti superius dicebamus.

Quo ad quinctum, negatur sequela, bilis enim à principio febris mordicatiua est, in fine verò minimè; nam licet exterius transfundatur, quod non semper conceditur, maiorem habent sensationem tristis sensibilis internæ partes sensitiuæ, quam externæ; aut ad externa dum transmittitur bilis diuisa est, non vnita, vndè etiam minus actiua, minus mordicatiua, quā dum in internis erat, atq. rigorem faciebat. Vel facit rigorem bilis in principio febris magis, quoniam minus concocta est in principio, quam in fine.

Et deniq. quamquam rigores mulieribus ex lumbis incipiant, viris autem ex femore, vel cubito, & parte posteriore magis; non ideò incipiunt rigores, respondetur, ex cubito, exempli gratia, quoniam & ibidem bilis mordicationem exerceat, at quoniam ibidē frigus percipitur prius, propterretractionem caloris ad partem mordicatam, cum femora, cubiti, & partes postremæ corporis frigidæ sint magis, quam aliæ. Et sic bilis partes

corporis sensibiles mordicando rigoris causa est cum Gal.

PROBLEMA XXX.

QVæ nam virtus sit cataplasmatis? An vt resoluat, vt moueat sudorem, vt euocet vaporem?

DISPVTATIO XXXIX.

EGIT in superioribus Aristoteles de causis morborum, nunc in præsenti problemate incipit de eorundem curatione, & medicamentorum virtutibus; atque virtus cataplasmatis, quæ nam sit primo quærit. Pro cuius quæstionis intelligentia primo quærendum est quid nomine cataplasmatis accedat; nam cataplasma nomen græcum translatum deindè ad latinos, & arabes, medicamentum est molle, consistentia mediocri inquit Gorręus in lib. defin.

me-

medic. cum Gal. lib. 2. ad Glauconem: Medicamentum inquam molle confectum ex herbis viridibus, radicibus, floribus, fructibus, seminibus, oleis, adipe, farinis, vt docet Vuecherius cap. 38. lib. 1. meth. general. differt enim cataplasma ab illo medicamento sibi simile, quod chirurghi hodiè pulticulam appellant, siquidem pulticula, farina aliqua in oleo, & aqua, vel melle, vel butyro, quæ decocta sit, componitur. differt etiam cataplasma idem ab emplastro, & malagmate, nam malagma ex floribus, eorumquè surculis parari solet cum Celso lib. 5. sed emplastra magis ex quibusdam metallicis; malagmata insuper contusa abundè mollescere; laboriosè verò conteri ea, ex quibus emplastra. Nescio, refert Gorræus ex Gal. in verbo malagma, qua ratione ducti Asclepiades, & Andromacus omnia pharmaca, quæ foris imponuntur, siuè molliant, siuè astringant, condensent, indurent, malagmata appellarunt; quos posteà sequuti alij medici, tres maximè eorũ differentias, vt ex Antillo refert Oribasius, statuerunt, alia ex quibusdam radicibus, herbis, seminibus, alia ex metallicis, aut ijs, quę metallicis proportione

ne respondent, alia ex succis, soeuo, lacrimis, & ijs quidem omnibus diuersa facultate præditis: nempè hæc tria dicta pharmaca cataplasmata sunt, emplastra, trochisci: Emplastra, inquit Vueccherius c. 37. lib. superius allati, græcis sunt mediamenta varia simplicium genera, & metallica præsertim recipientia, atq. eo vsq. percocta, quousque manus amplius non inficient, quæ refrigerata sint solida, & dura; calefactione verò malaxantur, arabibus, recentioribusq. cerota nuncupantur. dicũtur autem gæcè ἐμπλαστρα, hoc est meatus cutis obstruentia medicamenta. Emplastra igitur, & cataplasmata maxime differunt apud Græcos, quamquam arabes confundãt, & de cataplasmate quam vim habeat quærit hodiè Aristoteles; An, inquiens, vt resoluat, vt moueat sudorem, vt euocet vaporem.

Sed Gorræus, dicet aliquis, in lib. definit. in verbo proprio, inquit, cataplasma medica mentum est, quod repellendo, concoquendo, digerendo, dissoluẽdo, laxando, vacuando, detergendo, calefaciendo, siccando, doloriq. sedando adhibetur. Igitur non solum resoluendi, mouendique sudorem, vel vaporem

rem vim habent, vt inquit Aristot. dicet aliquis; nam concoctio præcipuè nō resoluendo, aut sudando, vel vapores euocando celebratur, sed obtinendo, claudendo, & incrassando.

Respondetur cataplasma vtiq. varijs viribus constare; nam cum Gal. 2. ad Glauconem parantur cataplasmata, ex pane, oleo, & farina. In ordine ad vlcera, talia autem cataplasmata sunt aut betæ coctæ in aqua, aut apium, aut oleæ folia, aut fici folia, aut quercus, aut mali punicæ, legitur in Hipp. in lib. de affect. atq. his coctis vtendum est deinde subdit; crudis verò ramni folijs, aut viticis, aut saluiæ, aut titimalli, aut pulegium viride, aut porrum, aut apium, aut coriandrum, aut isatidis folia impone; quamquam inquam cataplasmata variarum sint virium, nihilominus aut calida applicantur, aut frigida, vt audiuistis, præcipuè autem calida applicari solent, & de calidis loquendo Aristoteles, an vt resoluāt, vt moueāt sudorem, vt euocent vaporem, inquit. Atq. cataplasmata calida resoluere pręter quamquod experientia patet, docet etiam Hipp. in lib. de affect. cum de tuberculis, conducit inquiens

ali-

aliqua cataplasmatis integere, & aliqua impositis cataplasmatis maturare, & diffundūt quidem cataplasmata quæcumquè cum calida sunt humectant, & non in se trahunt.

Secundo, quæ nam virtus sit cataplasmatis quærit Arist. An vt resoluat, vt moueat sudorem, vt euocet vaporem. Sed sic est quod mouendo sudorem, & euocando vaporem fit omnis resolutio. Igitur frustrà adduntur in probl. verba, vt mouendo sudorem, vt euocando vaporem, cum dictione resoluat, hæc duo dicta comprehendantur:

Tametsi resolutionis nomine veniāt euocatio vaporis, & sudoris motio, nihilominus non frustra dicta duo adduntur ex Aristotele, nam probationis gratia addit, respōdetur, videlicet, quę nam virtus sit cataplasmatis quærit Aristoteles? An vt resoluat? Et quod resoluat, probat, quoniam sudorem mouent cataplasmata, & vapores ad exteriora euocant; resoluunt inquam primo, & per se calida cataplasmata, per accidens verò, & secundariò concoquunt, nam concoquendam materiam minuunt, & ab eadem naturam exonerant: Exonerata vero natura ab eo, quo tanquam sarcina præmebatur

me-

melius concoquit quod concoquendum est, quod vero expellendum est, melius expellit, cum Gal. 11. metho. 15.

PROBLEMA XXXI.

Q*Vo argumento constet abscessum iam purulentum esse? An si aqua persusus calida immutatur, purulentus est: sin minus non dum est.*

DISPVTATIO XXXX.

QVAMQVAM abscessus nomen hic in græco textu non reperiatur, nihilominus de eodem intelligendũ est problema, nam & abscessus, siue ἀπόστημα græcè suppuratur, tum etiam quia subsequentia verba, an quia aqua perfusus calida immutatur, & quæ sequuntur alia, nisi de abscessu, & parte suppu rata intelligi non possunt; loquitur autem in præsenti probl. Aristoteles de signo con-

fecti

fecti puris,nimirum quoniam pus, vel puris generatio mediante cataplasmate interdum celebratur, de quo superius loquutus fuit. Cognoscitur autem à cataplasmate in abscessu pus factum quandò aqua perfusus calida immutatur,sin minus nequaquam concoctus est.

Sed cur aqua calida id præstet primo quæret aliquis? cur solum calida, & non frigida? de qua etiam mutatione intelligendum est,an caloris,siuè substantiæ,vel accidentium? Deniq. vtrum hoc solum signum sit confecti puris?

Et quo ad primũ, calida aqua in abscessu perfusa attenuat, & rarefacit partes intrà quas pus continetur, quibus deindè rarefactis, & quodammodò adapertis pus idem album natura sua melius se ad exteriora confert,& visui prębet,vndè propterea partes dictæ albæ efficiuntur, mutanturquè, si forte fortuna calida aqua perfundantur.Secus verò aduenit si cum frigida lauentur: nam frigidi est condensare, & constringere cum philosopho, vndè partibus constrictis, intrà quas pus detinetur, pus idem minus se demõstrat, & licet album, propter pororum

adstri-

adstrictionem visui latet, & absconditur.

Tertio si aqua calida persundatur abscessus immutatur inquit Aristoteles, quærebatur de qua immutatione intelligatur, & veluti paulò antè indicabamus, non de mutatione substantiali intelligendum est, respondetur, at accidentali, & coloris præcipuè; caro enim partis suppuratæ dum aqua calida perfunditur in superficie dealbatur, atque pellucida fit, licet anteà rubedine predita esset.

Sed vtrum hoc solum signum sit confecti puris quarto loco quærebatur? Et quidem non solum, respondetur, hoc est signum confecti iam puris demonstratiuum, licet ex Aristotele in præsenti hoc solum referatur: nam cognoscũtur abscessus etiam suppurati à febribus, & doloribus minus infestantibus cũ Hip. 2. aph. 47. Dum pus fit dolores, & febres fiunt, afferente magis, quam dum confectum est. nam dum pus fit calor putredinalis viget magis, confecto verò naturalis, ideò prius febres, & dolores, posteà verò minus. Si digito abscessum suppuratum præmas albidior fit, quia pus album visui magis appropinquatur; Non pulsant adeò partes sup-

ſuppuratæ,vt anteà, quoniã ſuppuratio præ-ſupponit aliquã concoctionẽ, quæ mediante calore celebratur;vndè maior erat calor antè quam ſuppurato iam abſceſſu,atq. proptere a minor deindè pulſatio. Præterea calor, & pondus minuuntur in abſceſſibus; calor inquam cum non amplius pus factum calore,& concoctione indigeat,& concocto pure iam defecerit calor putredinalis: Pondus deniquè quoniam minuitur materia propter reſolutionem partium in abſceſſu à calore factam, vndè propterea pus omne leue eſt cum Gal.lib.1.de diff.feb.cap.6.

At ſuppurationem mediante concoctione celebrari, dicebamus ſuperius. Vtrum quæret aliquis ſit ne concoctio ſuppurantis abſceſſus? An verò putrefactio? ſecundo pus album, & leue eſſe dicebatur natura propria. Cur album ſi à ſanguine rubeo? Cur etiam leue, ſi mediante concoctione fit,atque concoctio incraſſando ſemper cum Ariſtotele celebratur 4. metheorol. tex.18. ſæpius allato; & craſſa deniquè grauia ſint, veluti tenuia, leuia.

Reſpondetur,& primò cum Gal. lib.1. de diff.feb.cap.6.vbi de putredine abſceſſuum,

vel

vel inflammationum ſermonem habet, At talis quidem putredo, inquit Gal. non ſimpliciter quidem putredo exiſtit, ſed aliquid in ſe continet concoctionis, & 2. aphor. 47. Pus ex ſanguine ortum habet, qui ſemimalam, vt quiſpiam dixerit, accipit commotionem, nam mala ſimpliciter cum putrefactione fit olida, ſicuti ſimpliciter bona eſt ipſa mutatio particularum animalis: at quæ pus generat medium inter has obtinet locum, neq. à ſolo calore extrà naturam, neq. à ſolo ſecũdum naturam facta: Mixtus enim quodammodo eſt calor inflammationis ex vtriſque, ideo mixta ab hoc calore mutatio, quæ cõcoctio, & putrefactio ſcilicet eſt; Eſt enim, inquit etiam Valleſius lib. controuer. medicinal.; & philoſoph. cap. 4. motus quidam medicus inter putrefactionem, & concoctionem, ſicuti inter motum ſurſum, atq. deorsũ eſt motus obliquus participans de vtroq. qui quidem motus medius in abſceſſibus interdum putrefactio, interdum verò concoctio appellatur: putrefactio quidem in principio inflammationum, exempli gratia, concoctio verò in ſtatu, & declinatione. nam in principio inflammationum viget calor pu-

R tre-

tredinalis, in declinatione verò naturalis.

Ad secundum verò quæsitum sanguis licet rubeus, & pus à sanguine generetur, nihilominus album fit pus idem, quoniam scilicet seminales partes intrà quas conficitur, albæ sunt etiam, quamquam Cardanus hãc non recipiat responsionem lib. 1. contradic. med. tract. 6. cap. 12.

Et præterea leue quidem pus est ex supra indicata ratione, videlicet dum concoctio celebratur, resoluũtur partes tenuiores, vndè minuitur concoctione materia, & præterea quæcumquè concocta sunt leuiora inconcoctis, sicuti in fructibus, exempli gratia, apparet, sunt leuiores fructùs maturi immaturis, quia plus substantiæ reperitur in immaturis, quam in maturis. Neq. obstat quod crassiora tenuioribus leuiora sint; nam hic de eodem indiuiduo intelligitur, quandò pus album leue, & æqualè dicitur, videlicet, pus concoctum leuius est, quam inconcoctum: sicuti idem fructus leuior est maturus, quam immaturus.

PRO-

PROBLEMA XXXII.

QVæ nam urenda, quæue incidenda sint? An quæ ore sunt amplo, nec breui coagmententur, hæc urenda sunt, ut crusta illic incumbat: sic enim nullum pu[illegible]atrice inducta occultabitur.

PROBLEMA XXXIV.

QVæ nam incidenda, quæue urenda, quæ contra non ita curanda sint, sed medicamentis? An quæ in ala, aut in inguine abscesserunt, medicamentis curãdum potius. diducta enim partim laboriosa, partim periculosa redduntur. Vrendi sunt illi abscessus, qui lati, processuq. multiplici eruperũt,

quiquè venoſis, non carnoſis reſident locis. Incidendi, qui in acutum ſe colligunt; quiquè non parte ſolida extant.

DISPVTATIO XXXXI.

HORVM duorum problematum cum ſuperiori 34. potius, quam 32. connexionem habet: nam Ariſt. ibi de abſceſſibus, in his verò de inſtrumentis agit, cum quibus abſceſſus prædicti aperiendi ſunt: Indicationes etenim vltimæ abſceſſuum curatrices præcipuè maturatio, & aperitio ſunt, ſiuè concocti puris expurgatio. Pluribus autem inſtrumentis, iiſdem indicationibus à medicis ſatisfit, particulariter verò vſtione, inciſione, vel medicamentis; in quibuſdam nimirum locis aduſtio cõuenit, in alijs inciſio, in alijs deniq. medicamentum. Et ideò quæ vrenda, quæ incidenda, quæ contra non ità curanda ſint, ſed medicamentis, quærit in problematibus præſentibus Ariſtoteles. Et an quæ, reſpondet,

in

in ala, aut inguine abſceſſerunt medicamentis curandum potius, & quæ ſequuntur alia. Multæ ſanè ſunt animaduerſiones, quæ circà abſceſſuum inciſiones faciendę ſunt, quas omnes doctiſſimè, & cum ſumma diligentia exarauit Hollerius Stēpanus lib. 2. de materia chirugica cap. 1. ſed ſumpta primum indicatione à dolore ſub ala, & inguine medicamentis vtendum eſſe docet Ariſtoteles. Si enim inquiens partes dictæ incidantur τὰ μὲν ἐπίπονα τὰ δὲ, ἐπικίνδυνα, hoc eſt doloroſæ, & periculoſæ ſunt. Dico autem doloroſę, quoniam πόνος dolorem quoque ſignificat, vnde Hipp. 1. epid. in hiſtoria Epicratis Vxoris, poſtridiè à partu febris acuta eam inuaſit, cordis dolor, & muliebrium partium grę-cè Καρδίης πόνος Και γυναικηῶν. Quod autem inguina, & ſub ala doloroſæ partes ſint, conſtat ex titillatione in ijſdem partibus facta, inſigni inquam ſenſu pręditæ ſunt partes diſectæ, & propterea cum dolore, & periculo ſecantur. Sumpta etiam indicatione à forma abſceſſuum, vbi lati; proceſſuquè multiplici ſunt, ſubdit ibidem Ariſtoteles, quiquè venoſis, & non carnoſis locis reſident vrendi ſunt. Lati inquam, proceſſuque multiplici

vrendi sunt abscessus, quoniam hi frigidi sunt, tum etiam nè morbus vlterius proficiscatur; nam vstio tollit putredinem, intrà abscessus existentem,& per consequens morbi augmentum. Quiquè insuper abscessu in venosis,& non carnosis partibus residet, etiam vrendi sunt: nam facta sectione circa venas periculum est hemorragiæ, vstio verò hemorragiæ remedium est. & deniquè incidendi abscessus sunt, qui in acutum se colligunt,quiquè non parte solida extant:in acutum enim se se colligentes abscessus à materia calida fiunt,tenuiorique,& ignea, vndè frigido,& non candenti ferro secandi sunt; & eo magis si pars incidenda non solida sit,sed mollis: minus enim dolorificè secantur molliores partes,quam duræ, cum duræ fibris solidionibus constent, quam molles: Ideòque molles cum frigido, duræ verò cum calido ferro incidendæ sunt: nam minus etiam doloris exibet ignitum ferrum, quam frigidum.

Et hæc sanè sunt omnia,quæ in probl.habet Aristoteles.Circà quæ occurrit statim dubitatio, nam Aristoteles sub ala, & inguine existentibus abscessibus, medicamentis

vten-

vtendum docet. An de medicamentis intrinſecis intelligat, an verò de extrinſecis? Sunt enim non nulli etiam de intrinſecis Ariſtoteli ſermonem eſſe, affirmantes. At huic dubitationi breuiter ſatisfaciendo, nequaquam de intrinſecis intelligendum eſſe dicerem, ſed de extrinſecis: loquitur enim hic Ariſtoteles comparatiuè de tribus præſidijs, videlicet, medicamentis, vſtione, inciſione; & in ordine ad abſceſſus, ſicuti vſtio, & inciſio externè adminiſtrantur, ità etiam de medicamentis externè operantibus intelligendum eſt, non autem internè.

Sed ſuppoſito quod de medicamentis externè operantibus, localibus, & topicis alias appellatis intelligatur problema; quæ nam ſunt huiuſmodi medicamenta, quæ vim habent aperiendi abſceſſus, dicet aliquis?

Horum ſylua maxima eſt, reſpondetur, apud medicos, Antiqui vtebantur calce, & ſapone mixtis, theriaca, ſemine vrticæ, lacte ficulneo, adipe è rubetis, puluere cantaridum, & alijs huiuſmodi, de quibus Aetius lib. 15. & capite de pyroticis agit. Recenſiores vtuntur alijs, quam plurimis, quæ omnia breuitatis cauſa in præſenti omitto.

PROBLEMA XXXIII.

QVænam virtus medicamenti supprimentis sanguinem sit, quod ænemum appellant? An vt exiccet, & materiæ inutilis confluuium cõpescat, sine crusta, aut carnis putredine? ità enim efficitur, vt vulnus simul, & inflammatione careat, & vnitati sit opportunum: Quod enim materia non superfluit, inflammatione carebit. Quod siccum est, vnitati opportunius erit: quandiu namq. præmadet concorporescere nequit. Quam ob rem quæ cruentis inijcienda censemus acria magna ex parte sunt, quò acerbitate sua possint adstringere.

DI-

DISPVTATIO XXXXII.

QVONIAM in sectione abscessuum, de qua in 32. & 34. probl. sermonem habuit Aristoteles, interdum hemorragia, vel sanguinis larga effluxio accidere solet, propterea de ænemo in præsenti agitur, cum quo homorragia eadem coercetur. Est autem ænemum, veluti Ephesius in sua oeconomia Hypocratis docet, medicamentum, quod cunctis vulneribus, & adhuc sanguine manantibus adhibetur ad eadem glutinanda. vndè in lib. de fracturis, aut cerato picato adhibito, vel eo, quod cruẽtis vulneribus imponitur ἢ ἐναίμον, inquit Hippocrates; vbi Gal. rectè subiungit, est adhibitum, quod ab eo ἐναίμον medicamentum dicitur, nam & nũc quoquè vsitatissimum apud medicos hoc nomen est, de ijsq. medicamentis dicitur, quę vlneri statim ab initio, vbi illata sunt, imponuntur, nec dum planè sicca sunt, sed adhuc sanguine manant: vt idem in lib. de articulis legere est, in lib. de vulne-

vulneribus, 5. epid. atq. Celsus lib. 5. cap. 19. emplastra inquit, quæ cruentis protinus vulneribus inijciuntur ἔναιμα græci appellant. Sed de nomine quidquid sit; quæ nam virtus ęnemi vel ęnematis etiam dicti in præsēti quærit Aristoteles? & an, respondet, quod exiccet, & materiæ inutilis confluuium cōpescat sinè crusta, aut carnis putredine? Circà quam Aristotelis responsionem primo notanda sunt verba, vt exiccet, nimirum vis ænematis per Aristotelem principaliter, & per se in siccitate consistat, nam exiccatæ partes incisæ constringuntur, in se se retrahuntur, & sanguinis effluxio postremò cohibetur. Et materiæ inutilis confluuium compescat, sunt alia verba problematis; fit autem confluētium humorum compescentia ab ænemate ratione superius indicata, clauduntur videlicet reserati meatus à siccitate, atq. confluentis sāguinis motus coercetur, vt asserebamus. Sine crusta, & carnis putredine, sunt tertio loco, verba alia problematis; nimirùm plurium specierum sunt medicamenta compescentia sanguinem, alia scilicet cum crusta, & carnis putredine id agunt, alia verò sinè carnis putredine, & cru-

crusta. cum crusta, & carnis putredine id agentia cauteria sunt, vel inustiones peractæ cũ ferro ignito, vel medicamentis pyroticis, aut causticis à medicis nũc appellatis.

Sed ænemũ præcipuum, quo chirurgi nostri temporis vtuntur albumen est oui. albumen verò frigidum, & humidum est, vt sensu patet. Ideò non semper ænema siccum, vel siccitate primum agit, nũc dicet aliquis. Secundò Celsus lib. dicto 5. cap. 19. horum ænematum compositionem describens, fiũt, inquit ærugine rasa, spuma argenti, alumine, pice arida, resina pini cum oleo, & aceto, aut spuma argenti cocta in tribus olei heminis, & resina pini. Sed oleum non exiccat; itaq. non exiccãdo prodest medicamentum ænema dictum, siue appellatum.

Respondetur, & primo quod ad primum argumentum, quamquam albumen oui humidum sit, actu primo, nihilominus potestate, vel actu secundo siccum est. Vnde idem applicatum adhæret adeò interdum, & partibus sese applicat, vt nisi magno cum labore auelli non possit.

Secundo verum est quod oleum non exiccat; humidum enim est natura sua propria.

Ergò

Ergò ęnemata dicta cum oleo composita non exiccant, negttur consequentia: nam oleum requiritur ad compositionem dictorum ęnematum, vt scilicet medicamenta, ex quibus componuntur valde sicca in sese simul misceantur, & mixtionem faciant. nulla etenim generatio, siue mixti compositio à sicco solum fit cum Aristotele 4. meteorol. sed humidum cum sicco misceri debet, vndè humidum connectens à nonnullis appellatur; quia scilicet ad hoc vt simul connectantur, humidum requirunt, quemadmodum hic à Celso eadem ratione oleum cũ nitro, alumine, vel alijs huiusmodi siccis pro compositione ænemi, medicamenti fluxum sanguinis cõpescẽtis admiscetur. Quod quidem ænema licet oleo mixtum, nihilominus siccũ est prædominanter, siccandiq. vim habet, & fluxum sanguinis sistendi, vt dicebatur.

Ita enim, subdit deinde Arist. in probl. efficitur, vt vulnus simul, & inflammatione careat, & vnitati sit opportunum. Inflammatione inquam careat vulnus ex ęnemate propter prohibitionem fluxus materiei, quę à sicco celebratur. Vnitati deindè opportunum erit, quoniam sicca vnitati magis opportu-

portuna sunt, quam humida. propterea cruētis inijcienda sunt acria magna ex parte, quæ acerbitate sua possunt adstringere.

Sed contrà hæc alia problemata, dubitabit etiam aliquis. Prohibetur inflammatio ab ænemo cum Aristotele, quoniam fluxus materiei ad vulnus impeditur, qui quidem fluxus mediante sicco prohibetur. Vtrum nè calida, & sicca simul possint etiam esse ęnemata.

Secundo ad vnitatem requiritur humidum connectens, vt dicebamus. ergò vnitati nequaquam magis opportunum siccum est, quam humidum.

Et tertio acria dolorifica sūt, ergò cruētis non inijcienda. cepa enim & alliū acria sunt, & cruētis vulneribus nequaquā cōueniunt.

Respondetur, & quo ad primam dubitationem, calida, & sicca non possunt esse medicamenta sanguinem sistentia, quia calidi est aperire, non claudere: Ideò sicca, & frigida simul magis medicamenta sanguinem sistentia esse debent.

Secundo humidum ad vnitatem requiritur vt medicamentum siuè cum quo, & instrumentaliter, vt quod verò, & principaliter est

est siccum, sicca etenim vniuntur, atque firma, non autem humida, & continuo fluxu mobilia.

Et tertio acria dolorifica sunt, negatur, acida scilicet, non acria: nam terrea omnia sunt acria, & tamen non dolent: neque obstat quod allium, & cepa acria dicantur, nam huiusmodi calida sunt, non frigida, acria scilicet frigida cruentis inijcienda sunt, non autem calida: quia & frigida etiam acria acerbitatem habent, non autem calida.

PROBLEMA XXXV.

Cur si quis ære incisus sit, facilius, quam si ferro, sanescat? Utrum quia aes leuius est, itaquè minus laceret, ictumque faciat? An è diuerso, quod ferrum acie adactiorem recipiat sectionem, idcircò faciliorem, tolerabilioremq. efficere debeat. At verò aes medicamenti vim obtinet, & principium

pium quodcumq. pars potissima rei est. Quod igitur aes simul ac fuerit incisũ, medicamento præsẽtissimo adest, facit vt vulnus celerius coeat.

PROBLEMA XXXVI.

CVr ambusta ex ære sanantur celeriter? An quoniam à laxioribus, minusque corpulentis effecta sunt? Plus enim calor corpori inhæret solidiori.

DISPVTATIO XXXXIII.

EGIT de abscessibus superius Aristoteles; & quoniam eorum indicationes præcipuæ sunt maturatio, & puris iam concocti euacuatio, ideò de cataplasmate subsequenter locutus fuit, quo mediante abscessus maturantur, & pus concoquitur. Pure insuper concocto, & perfectè maturato (de qua re etiam

etiam signa tradidit superius Aristoteles) deueniendum est ad abscessuum aperitionem, atq. puris prædicti euacuationem. Aperiuntur autem abscessus triplici instrumento, medicamento scilicet, incisione, & adustione; & quę nam medicamentis aperienda sint, quæuè vstione, aut sectione superius etiam docuit Aristoteles in problemate trigesimoquarto; quæ scilicet in ala, & inguine abscesserunt medicamentis curanda sunt; Vrendi verò abscessus lati, sinuosi, atq. in venosis locis existentes, non verò carnosis. Et denique in acutum se colligentes abscessus, quiq. non parte solida existant, incidendi sunt; sed quoniam, prætereà incisio potest fieri cum ferro, vel ære, atq. ære incisa facilius sanantur, quam si ferro; quærit postremò Aristoteles huius rei rationem; Cur inquiens facilius sanantur vulnera, vel incisiones factæ ex ære, quam quæ ex ferro. Circà quæ verba primo notandum est, quod tametsi Aristoteles in ordine ad incisiones abscessuum præcipuè loquatur, nihilominus potest etiam intelligi de qualibet incisione, vel vulnere tam in abscessibus facto, quam in alijs quibusdam locis. Secũdo plura sunt me-

metalla, atq. ad septem capita præcipue iuxta numerum planetarum reducuntur ab alhimistis, nimirum argentum, argentum uiuum, aes, aurum, ferrum, stamnum, plumbum; atq. ratione similitudinis in temperamento, argẽtum luna appellatur ab ijsdem, sicuti argentum viuum Mercurius, aes venus, Sol aurum, ferrum mars, Iuppiter stamnum, & deniq. Saturnus plumbum; signisq. proprijs, vel caracteribus astrologicis ☽ ☿ ♀ ☼ ♂ ♃ ♄, ab ijsdem alchimistis metalla dicta describuntur: quamquam inquam plura sint metalla, nihilominus de ferro, & ære solum comparatiuè hic loquitur Aristoteles, quoniam aes, & ferrum sunt metalla ad incidendum magis disposita, atque in maiori semper copia reperta fuere, ideòque de ære, & ferro solum quæstio proponitur ex Aristotele. Pro cuius quæstionis enodatione tertio sciendum est, aes cum Plin. lib. 34. naturalis historiæ cap. 1. effudi, ignique perfici, fit & è lapide ærosо, quem vocant cadmiam, fit & ex lapide alio, quem calcitem vocant in cypro. Appellatur autem ab alchimistis venus, quoniam Veneris temperamento participat, veluti suprà indicabamus, nimi-

S rum

rum calidum, & humidum est; quia verò inter metalla magis humidū, propterea leuius est etiam. Vndè hæc est ratio inquit Aristoteles cur si quis ære incisus sit, facilius, quam si ferro, sanescat; nimirum quia leuius est, itaquè minus lacerat, ictumque facit: leuior sectio fit ab ære, quam à ferro, vt experientia constat, & propterea facilius sanantur incisa ab ære, quam à ferro.

Sed Theophrastus in libro de igne aes durum metallum appellat, itaq. leuiter scindere non potest: nam duriora resistunt magis, vndè tardiorem faciunt sectionem; ergò leuiter scindere non possūt, veluti aes est.

Respōdetur Theophrastū hic non simpliciter loquutū fuisse, sed comparatiue, est per se durum metallum aes, respectu verò ferri molle, & leue. Præterea aes, inquit Plato in Thimeo cōflatum est propinquum auri partibus, densitate densius auro, & quod terræ parte modica, & tenui participat, vt durius sit, verum eò quod magna interse spatia habet leuius est; Rarius est æs, propterea leuius, vndè leiorē quoq. efficiet sectionem, quam ferrum: quod quidem ferrum cum grauiorem efficiat sectionem, ergò magis do-

dolorificam, vndè cum occursu humorum, & denique eorundem accensione, & inflammatione. atquè ita difficilius sanantur incisa ex ferro, quam ab ære, & ab ære incisa facilius sanantur, quam quæ ex ferro.

Sed ferrum, dubitat Aristoteles, acie adactiorem recipit sectionem; scilicet vult loqui Aristoteles, ferrum sua acie magis apta ad sectionem velocius incidit, quam æs. Quæ autem velocius incidunt minus dolorifica sunt, & per consequens, ab ijsdem incisa facilius sanantur; ergò incisa à ferro hac ratione magis sanantur, quam quæ ex aere. Quod verò velociter secantia minus dolorosa sint, atque sectio cum velocitate facta facilius sanetur, quam quæ tardè facta est, colligitur ex Aristotele in superiori problemate, quandò, vrendi sunt abscessus asserebat, qui in venosis, & non carnosis locis resident, quiquè in acutum se colligunt incidendi sunt, si in parte solida non sint, non sunt inquam incidendi abscessus in parte solida, sed potius vrendi, quoniam partes solidæ resistentiam faciunt sectioni, vndè extenditur dolor à sectione eorundẽ; vt igitur sectio dolorifica minus sit in ijsdem cũ velo-

citate peragenda est,hoc est cum vstione, vel igne; ignis enim actiuissimum est elementum,& quecumq. ignea, magis etiam actiua sunt non igneis; ferrum ergò cum velociorem sectionem efficere possit ipso ære,sequitur quod ferro incisa facilius sanãtur, quam quæ ex ære.

Respondetur vtiq. (vt experientia constat) ferrum velocius incidere,quam aes, & hac ratione velocitatis ferro incisa magis esse sanabilia, sed aes in sectionibus magis est sanum duplici de causa; primò quià, vt dictum fuit, aes leuem facit sectionem, non grauem. Secundo, subdit in problemate Aristoteles,quoniam aes simul, ac fuerit incisum medicamento præsentissimo adest,facitq. vt vulnus celerius coeat. Præsentissimo inquam medicamento aes adest vulneribus, quoniam, vt inquit Plutarcus 3. symposiacon ad finem, quæ æreis cuspidibus,& gladijs,infligũtur vulnera,corpori minorem inferunt dolorem, quam quæ à ferreis: aut quia aes in se quidpiam medicamẽti habet, quod statim in vulnere relinquat.

Sed non solum sectiones, verum adustiones, quæ ex ære fiunt, subdit in problemate

36. Ari-

36. Aristoteles, etiam celerioris sanationis sunt, quam quæ ex ferro: nam æs laxius est, minusq; corpulentum quam ferrum; atque ignis in corpore densiori maiorem, fortioremq; habet actiuitatem, quam in corpore rariori, vt experientia constat.

PROBLEMA XXXVII.

VTrum ptisana ordeacea leuior, & ad morbos accõmodatior, quam triticea sit? Hanc enim nonnulli anteponunt, argumentumque ex pistoribus capiunt, quod multo coloratiores sunt, qui tritici, quam qui ordeacei pisturam exercent, addunt etiam quod hordeum humidius est: quod autem humidius est concoctionem desiderat pleniorem. Sed nihil prohibet quo minus vt concoctu quid difficilius ordeum habeat, sic ad leuitatem quid vtilius

præstet, hoc enim non humidius tantum tritico est, sed frigidius etiam. Qualis certè sorbitio, cibusque competit febrienti, vt parum alat, & satis refrigeret, quod ptisana ordeacea facere potest: Quia enim humidior, vel corpulentior est, hinc alimenti parum, idquè frigidiusculum præstat.

DISPVTATIO XXXXIV.

PTISANA nomen est græcum, quod nihil aliud significat, quam ordeum decorticatum: dicitur autem à verbo græco πτισσειν, quod pinsere, & decorticare significat: nimirum, vt Gorræus in proprio verbo recenset, hordeum tundendo degluberetur, ac suo cortice castratum conderetur; mundatum hordeum, subdens, officinæ vocant, tunditur enim hoc, non molitur; ac veteres quidem primò in corbibus perfusum aqua hordeum, dum tumeret, in sole siccabant,

mox

mox in pila ligneo pistillo tantisper tundebant, dum corticem, glumamq. exuisset, & ità vt diù permaneret, reponebant. Aliqui verò hordeum prius aqua madefactum, deindè sole resiccatum in pila tundebant, & suis glumis explicitum molebant, farinam in sacculo coactam diutissimè discoquebãt; ita abigi vim flatus existimantes, atq. resiccatam, & in offas conuolutam ad vsum sorbitionis seruabant; Alij verò, vt refert Constantinus Cæsar lib. 12. de agricultura, hordeum maceratum, purgatum, decorticatum, & in sole siccatum, rursusq. secundò ad solem exiccabant, cumquè reponere volebãt, id quod ex ipso tenuè inter pistandum, decussum erat, ei aspergebant, quod ita ipsum defendendo conseruari animaduertissent; sic ergò parata ptisana, siuè hordeum, recondebatur, optimo quidem, & saluberrimo instituto, inquit ibidem Gorræus, cumq. vsus exigebat, in aqua coquebatur. Vnde ptisana verbum, crudum, vel coctum hordeum significat. Coquendi verò ratio diuersa apud antiquos, vulgata autem, magisquè recepta græca erat, quam Gal. 1. de aliment. facult. recenset; nimirum coquitur

ptisanæ portio in aquæ decē, vel vt ait Paul. in quindecim partibus, dandaquè, inter coquendum, opera est, vt quam amplissimè intumescat, quæ enim multum, citòq. intumescit, optima censetur, vt è contrà, quæ longo tempore parum tumet, pessima. cum autem in tumorem sublata est, aceti aliquantulum infunditur, deindè olei exiguum, quod tamen etiam per initia inijci potest. cum ad exactam coctionem peruentum erit, friatus sal inspargi debebit, neq. aliud prætereà miscendum est, nisi forte anethi, aut porri pauxillum. Alij alias habebant ptissanæ præparationes, quas recenset Gorræus ibidem; quibus omnibus, breuitatis causa, omissis, ptisana hordeum decorticatum, vt audiuistis, significat, quo quidem hordeo decorticato vtebantur antiqui præcipuè cocto, & vel integro, vel dissoluto amplius. ptisanæ verò appellatione integrum coctum hordeū apud eosdem veniebat, vt videre est apud Hipp. præcipuè 2. epid. quandò ptissanem non colatam, apponito, inquit; atq. Gal. 1. de ratione victus in morb. acut. siuè tusam loquitur, siue hordeaceā, siue ptissanam simpliciter dixeris, vnum & idem his tribus dictio-

nibus significatur, vnoquoq. nempè ptis-
am non colatam significante. post deco-
nem namq. si quis eam colauerit, dein-
si succum reponens seorsum eum exibue
is neque tusa, neq. hordeacea, neq. sim-
iter ptisana vti dicetur, sed solo ptisanæ
more. ptisana igitur simpliciter verbum
latum integrum coctum hordeum de-
ticatum significat. Neq. obstat, quod ex
js etiã frugibus ptissanam paratam apud
ctores inueniamus; nempè ex tritico pti-
a fit, ex zea, oriza, lente, nam huiusmo-
& si decorticata, tamen non sub simplici
sanæ appellatione veniunt, sed addito
mine frugis, ex qua constant. vnde ptissa-
ex oriza legitur apud doctores nonnum-
am, ex zea, ex lente, vel alijs similibus,
dito tamen semper nomine frugis, ex qua
nstabat.

Sed de hac ptissanæ appellatione quid
; Ptissanæ laudes vno volumine Hippo-
ates prosequutus est, eam omnibus ali-
entis præferens, quoniam leuis est, lubri-
, facile hauritur, sitim arcet, in aluo non
tumescit, facile redditur, & huiusmodi alia
na agit. Quibus omnibus ex Aristotele
for-

fortasse examinatis, oritur ipsi dubitatio vtrum ptisana hordeacea leuior, & ad morbos accõmodatior sit, quam triticea; quam quidem dubitationem, in præsenti, quod prę manibus habemus problemate, examinat; & pro parte negatiua duo affert argumẽta, vnum quidem deductum ab exemplo, alterum verò ex hordei temperamẽto; Pistores, inquit primò Aristoteles in contrarium arguendo, coloratiores multò sunt, qui tritici, quam qui hordeacei pisturam exercẽt; Ergò ptisana ex tritico hordeacea melior.

Secundò hordeum tritico humidius est, sed humida coctionem pleniorem requirũt, hoc est difficilioris sunt concoctionis; ergò tritici ptissana melior est hordeacea, cum melius etiam concoquatur.

Quidquid tñ de his sit, ptissana hordeacea triticea melior est, concludit in probl. Arist. & secundò argumento in contrarium adducto respondendo, nam primo de pistoribus nequaquam respondet vt potè alibi fortasse satisfacturus, nẽpe 24. probl. sect. 21. Quamquam in hordeo, inquit, aliquæ partes sint difficilioris concoctionis, nihilominus sunt etiam aliquæ partes leues, quæ ægrotanti-

bus

bus maximè vtiles sunt: hordeum enim non solum humidius est ipso tritico, verum frigidius etiam, qualis certè sorbitio, cibusq. febrienti competit. febris enim calida,& sicca affectio est, vndè ptissana frigida,& humida eidem maximè confert. Confert inquam febrientibus ptissana ex hordeo magis quam triticea,& vt medicamentum, nec non etiam vt alimentum vult dicere Aristoteles. Vt medicamentum inquam, quoniam frigida est,& humida; vt verò alimentum, quoniam licet hordeum tritico humidius, humiditas tamen hordei aquosa est, nō autem pinguis, & oleosa, vndè leuior erit alimonia hordeū, quam triticum, cuius quidem succus pinguior est succo hordei, vt Guastauinus in com. adnotauit.

PROBLEMA XXXVIII.

Cur dentium stuporem portulaca herba, aut saltē tollere potest? An portulaca, quia lentum quendam h... humorem, qui vel manducanti, aut

ma-

manu aliquantisper confrigenti patescit: hæret enim, ac trahitur. Lentor igitur subiens ille à corpore educit acorem, quippè qui affinitate quadam coniungi valeat, argumento saporis, quem acidulum reddit. Sal verò macerat, liquefacit, atq. ita acorem quoq. extrudit.

PROBLEMA XXXIX.

SEd cur lixiiccium, nitrumuè hoc idem facere nequeat? An quod hæc suam ob acerbitatem adstringunt, non liquefaciunt.

DI-

DISPVTATIO XXXXV.

VNVM, & idem à duobus contrarijs proficisci sanè mirum non est, sed curiosum indagare. Portulaca frigida, & humida est temperie, inquit Galen. 6. simpl. med. Sal verò calidum, & siccum, vt ex Hipp. constat libro de locis in homine; & nihilominus sal, & portulaca stupori dentiũ vtraq. medicamẽto sunt: stupor, inquit Auicenna lib. 3. fen. 2. cap. 13. cum Gal. 2. de locis affectis cap. 2. est morbus officialis faciẽs venire in sensu tactuali nocumentum, scilicet vel destructionem, vel diminutionem. oritur autem, cum eodem, ex defectu virtutis interdum, cum scilicet debilitatur, quemadmodum ex Hipp. 2. aphor. 6. in febribus fortibus accidit, & acutis ad stuporem ducentibus. Interdum verò accidit stupor ex parte instrumẽti, quoniam corrumpitur eius complexio propter frigus vehemẽs, aut ex punctura animalis, vel aliqua alia re simili. Tertio oritur stupor propter grossitiem substan-

tiæ neruorum, quarè spiritus in ipsa non benè penetrant. Aut deniq. oritur propter oppilationem ex humoribus grossis, scilicet à sanguine, phlegmate, aut melancolia. Vndè notandum est quod non de quocumq. stupore, & vniuersaliter considerato hic intelligit Aristoteles, cum, dentium stuporem portulaca herba, & sal tollunt, inquit: namque portulaca, vt frigida, defectum virtutis in dentibus corrigere nequaquam potest. neq. etiam cum dentes propter grossitiem substantiæ neruorum dentibus correspondentium, aut propter oppilationem interdum ex humoribus grossis stupescunt, sal, & portulaca medicinæ esse possunt. Sed de illo stupore intelligit Aristoteles, qui dentibus externè accidere solet, aut esu, vel potu alicuius rei acidæ, & austerę, vt verba subsequentia problematis declarant. Solent autem dentes stupefacere aciditas limonum, citri, fructus nonnulli acerbi, vel alia similia: Quæ quidem cibaria stuporem inducũt quatenus acorem proprium superficiei dentium communicant: acor autem vt frigidus minuit facultatem, siuè spiritus animalis in dentibus existentis operationem sensibilem: Vndè sé-

sus

sus defectus postremò, siuè stupor quod idẽ est. Cur autem id accidat, quærit in præsenti Aristoteles cum sal, & portulaca, vt audiuistis, res inter se maximè contrariæ sint? & quidem sub diuersa ratione, respondet, portulaca enim humiditatem quandam viscidam habet, & acidiusculam, vt sensu patet, quarè & visciditate, & quadam veluti similitudine acorem in dentium superficie existentem, secum trahit, & stuporem tollit. Sal verò macerat, liquefacit. & ità quoque acorem extrudit.

Sed si similitudine sanat portulaca stuporem in dentibus existentem, quatenus nempè acida est, & acorem, dentibus nocentem secum ducit; sequeretur quod idem, & omnia alia acida efficerent, quinimò prout acidiora, eo etiam magis stuporis medicina essent, ac tamen, vt experientia cõstat, contrarium accidit; si enim acida stupefactis dentibus exibeas, magis magisq. ijdem stupescũt.

Respondetur non acida solum, sed acida, & viscida simul esse, quæ dentium stuporem tollunt, nam, & similitudine, & visciditate portulaca acorem ex dẽtibus trahit, (quamquam magis visciditate, quam similitudine)

Vndè

Vndè Gal. 2. de aliment. facul. cap. 46. eiusdē rei rationem inuestigans; stuporem tolli ex dentibus à portulaca merito lentoris solum inquit, nulla facta mentione similitudinis, quamquam alibi, & præcipuè 3. de simpl. med. facult. attractiones qualitatum familiaritate fieri doceat. Sed de attractione per simpatiam dicta, atquè à distanti, nō autem ex propinquo, & tactis, ibi intelligere Galenum, dici potest, veluti medicamenta purgantia sunt, quæ vt inquit Hipp. in lib. de nat. hum. & alibi, trahendo purgant præcipuè. Sed de hac similitudine, & qualitatum familiaritate quidquid sit, satis est scire ex Aristotele portulacam stuporem tollere è dentibus, quoniam ex ijsdem sua visciditate, qua pollet, etiam acorosam substantiam trahit, à qua stupor proficiscitur, vt dicebamus. Sal etiam quamquam temperamento contrarijssimum sit eidem portulacæ, nihilominus idem peragit, sed diuersa tamen ratione, quam portulaca: sal enim calidum, & siccum est, vndè sua caliditate tollit frigus, facultatem restaurat, & acorosam substantiam dentibus obnoxiam, resoluit, exiccat, sanat deniq. stuporem.

Sed

Sed cur lixiuium, nitrumuè hoc idem facere nequeat? An quod, respondet Aristoteles, hæc suam ob acerbitatem adstringunt, non liquefaciunt? Verum quidem est, inquit Aristoteles, quod nitrum exiccat, & abstergit, quemadmodum & cinis, siuè lixiuium, quomodolibet verbum Κονία interpretari velimus, at huiusmodi non liquefaciunt, vim resoluendi non habēt cum valdè sicca sint, atq. eorum siccitate, qua pollent, tantum abest, quod resoluant, vt potius constringant, & acorem in dentibus existentem impingant, ideòq. non vt sal cinis, & nitrum dentium stuporem dissoluunt, quod ex Aristotele in probl. 39. quærebatur.

PROBLEMA XXXX.

CVr æstiuis lassitudinibus balneo, hybernis vnctione mederi conueniat? An hybernis vnctio datur propter horrores, mutationesq. vrgētes: per calorem enim laxandum est, qui membra tepescere faciat: oleum verò calidū

est. At in æstate humefaciendum censetur, quoniã tempus id siccum est, nec metus interpellit horroris, eo quod status temporis ad teporem ingenuè vergit: hinc etiam cibus parcus, potio liberalis per æstatem admittitur, ille magis, hæc omninò potioni namq; per æstatem ob temporum siccitatem indulgendum ex toto est: parsimonia verò cibi communis temporum omnium est, sed magis æstati conuenit, ne ob habitum temporis feruentem, corpus cibo immodico pressum exæstuet.

DISPVTATIO XXXXVI.

BALNEVM, à balanis dicitur, nam antiqui his vescebãtur, & cortices eorũdem igni alimenta dabant, inquit Suidas: nimirum corticibus balanorum igne accenso aquæ incalescebant, à quibus banea, siuè lauationes deindè, λουτρά enim dictio, balnea, & lauationes significat. Fiebant autem huiusmodi lauationes antiquo tempore calida aqua præcipuè, vndè Celsus lib. 1. cap. 2. interdũ balneo vti oportet, interdum verò aquis frigidis asserebat; atq. loca in quibus eædem lauationes fiebant θερμαί græci appellabant, ex dictione θερμόν quæ calidum, siuè calidam aquam significat; quatenus nempè lauationes, siuè balnea dicta sola aqua calida celebrarentur. Vsus huiusmodi balneorum sanè antiquissimus fuit, & ferè apud omnes nationes; Græci nimirum, Arabes, & latini ijsdem vtebantur; excreuit autem maximè apud Romanos, & quod ex necessitate, vel valetudinis causa inceperat, ad

 luxu-

luxuriam, & voluptatem deindè translatum fuit: nempè incœperũt lauari antiqui homines duplici de causa, ad lassitudinem profligandam scilicet, necnon etiam, vt post corporeas exercitationes, quas frequenter habebant, sordes abluerẽt; nam sudore, puluere, & nõnunquã cœno sordes inter laborandũ exortę, detergẽdæ erant, inquit Sene. lib. 13. moralium; Cuius etiam de causa ædificia magnificentissima, Gymnasia appellata, quorum adhuc Romæ Antonini, Diocletiani, & aliorum vestigia extãt, intrà se balnea continebant, nec non etiam loca in quibus gymnasticæ exercitationes agebantur, vt Vitruuius cum alijs testatur, atq. nuperrimè Mercurialis in proprio lib. gymnasticæ describit. Luxuria verò in hominibus magis se augescente, non sanitatis causa solum, at voluptatis deindè balneis vti Romani cęperunt: Vndè vt refert Lampridius, Cõmodus Imperator septies, vel octies per diem lauabatur.

Sed non solum balnea, verum etiam vnctiones ad eosdem vsus inuenere antiqui homines: atq. in ijsdem gymnasijs, in quibus balnea fiebãt, etiam vnctiones celebraban-

bantur. Vndè Plinius iunior 2.epist.ad Gallum,adiacet vnctorium,inquit,hypocaustiũ, adiacet propnigeon balnei, atq. Seneca lib. 3.epist.suprà ipsum balneum habito,inquit, & cum in aliquem, ac plebea vnctione contentum incido, audio crepitum illisæ manus humeris;aliptam cogita tenuem. Post exercitationes igitur lauabantur, & vngebantur antiqui,Vndè Cicero lib.8.epist. ad Atticũ, post horam octauam,asserit,in balneum vnctus est,accubuit; Apuleius etiam lib. 4. de asino,in fine sermonis,ait,statim deuestiunt, calidoq.perfusi,& oleo peruncti mensas dapibus largiter instructas accũbunt.Atq. Suetonius de Augusto loquẽte.Ne Iudæus quidẽ, mi Tiberi inquit, tam diligẽter Sabbatis ieiunium seruat, quam ego hodiè seruaui, qui in balneo demum post horam primam noctis,duas bucceas mãducaui,prius quam vngi inciperem. Et quamquam antiqui post balnea augerentur,interdum verò, & sæpissime vngebãtur ab exercitatione absq. vllo balneo pręcedẽte, prout anni tẽpora etiam expostulabant: Vnde Cornelius Celsus lib. 1.cap. 2. modo vngi inquit, modo balneo vti, modo aquis frigidis,modo id ipsum ne-

gligere: exercitationem ſubdens, rectè ſequitur modo vnctio vel in ſole, vel ad ignẽ, modò balneum. Lauabantur inquam antiqui præcipuè æſtate, vngebantur verò hyeme, quoniam ſcilicet æſtiuis laſſitudinibus prodeſt lauatio, hybernis verò inunctio, vt ex Hipp. colligitur lib. de ſalubri dieta, & alibi.

Sed vtrum balneum laſſitudinis remediũ ſit, nunc dubitabit aliquis? Nam Hippocrates 2. aphor. 48. in omni corporis motu, inquit, vbi aliquis laborare cæperit, quieſcere ſtatim laſſitudinis remedium; ergò nõ lauari, ſed quieſcere laſſitudinis remedium eſt.

Vtrum etiam & vnctione? nam huiuſmodi oleo celebratur; oleum vero calidum, & humidum eſt, ſed calida non conueniunt cuilibet laſſitudini, ergo nequè inunctio laſſitudini prodeſt. Quod calida laſſitudini interdum non proſint, conſtat ex eo quia laſſitudo triplex eſt ex Gal. 2. aphoriſ. 5. nec non etiam 2. de ſanit. tuenda cap. 5. vlceroſa ſcilicet, tẽſiua, & inflammatoria ἑλκώδης, τονώδης, φλεγμονώδης græcè; Vlceroſa laſſitudo eſt quando membra triſti moleſtoq. ſenſu afficiuntur, & veluti vlcerari ſenſiuntur; ſit aũt

ab

ab excrementis acribus,atq.calidis in membris existentibus. Tensiua lassitudo est,quandò per omnes partes membra, quasi contusa videntur,& oritur ex vehementi tensione musculorum; quam exercendo membra agunt, qui quidem musculi vehementer extensi dolorem sensiunt, & sic veluti contusi deindè remanent; vndè lassitudo tensiua appellatur. Tertia verò lassitudo dicebatur phlegmonosa, in qua scilicet membra veluti philegmone affecta sunt, & nimium excalefacta, & sic lassitudini calida non conueniunt,vt dicebamus, nam contraria contrarijs curantur per Hipp.

Quidquid tamen de his sit, balnea, & inunctiones prodesse lassitudini experientia patet,docuit Hipp.vt audiuistis in lib. de salubri dieta,& alibi,Gal.etiam lib.3.de sanit. tuẽda c.6.4.de sanitate tuenda c.10.& alibi idẽ docet, Celsus, Paulus, & plures alij medicinæ doctores. Homerus aũt in Vlisse naufrago,antè omnes,lib.odisseę.io. sic cõcinit.

At post quam calefacta est aqua in splendido lebete.

In balneum cum me locasset, lauit ex tripode magno.

Placidè effundens in capiteq. & humeris.
Vt mihi lassitudinem pernitiosam eximeret à membris.

Non obstant autem, quæ in contrarium superius afferebantur: nam in omni corporis motu vbi aliquis laborare cęperit, quiescere statim lassitudinis remedium est. ergò balneum non conuenit, negatur: Quoniam eadem ratione, qua conuenit quies, conuenit etiam balneum: quies enim humectando præcipuè confert; ergò etiam balneum quià humectat maximè confert. Confert etiam & inunctio, nam ex Hipp. lib. 2. de dieta, vnctio calefacit, humectat, & mollit. at calefactio, & humectatio naturæ maximè amicae sunt, cum calido, & humido viuamus; igitur etiam inunctio lassitudinosis hac ratione conuenit. Conuenit autem præcipuè quia humectat, & mollit; nam mēbra per exercitationem, & laborem exiccata, & indurata quodammodò, vt ad pristinam reducantur valetudinem, humectanda sunt, & emollienda, quod olei vnctione assequimur: Nequè obstat, quod oleum calidū sit, calida autem in lassitudine vlcerosa, & inflammatoria non conueniant: nam calida, & sicca non conueniunt,

niunt, nõ autem calida, & humida, vt oleum est: oleum inquam temperatè calidum, & valde humidum cum Gal. 6. de simpl. med. facult. cap. proprio 123. Et sic balnea, & inunctiones lassitudinis remedia sunt, vt dicebamus: balnea quidem aestiuae lassitudinis, inunctio verò hyemalis. Quaerit igitur huius rei rationem Aristoteles, & hybernis lassitudinibus inunctione primum occurrendum, respondet, propter horrores: audiuistis enim superius balneis corpora laxari, & aperiri, vndè qui calida vsi fuerint frigus diutius experiuntur, inquit Aristoteles in probl. 29. superius, quia igitur balnea laxãt, atq. cutis poros adaperiunt, ideò in hyeme facienda non sunt, rigores enim accederent propter ambientis frigus, quibus quidem rigoribus vnctiones aduersantur; ideòq. vnctione & non balneo in hyeme vtendum est: oleum enim calidum est, subdit in hoc loco Aristoteles. In æstate verò è contrà balneis vtendum est pro lassitudinis remedio, cùm corpora in æstate sicca sint, vndè balneo etiam humectanda veniunt. neq. insuper horrores verendi, quod balneo corpora laxentur, adaperianturq. vt dicebamus, quo-
niam

niam calidum est ambiens, & rigorem fieri non permittit. Quod autem corpora in æstate sicca sint, probat deniq. Aristoteles exemplo cibi, & potus; cibus enim parcus, potio verò liberalis per æstatem admittitur, vt etiam Hipp. docuit 3. de dieta in principio, lib. de salubri dieta, & alibi.

PROBLEMA XXXXI.

CVr ex medicamentis alia aluum soluant, vesicam autem minimè: alia vesicam, cum aluum nihilò moueant? An quod ea, quæ natura humida sunt, atq; aqua referta, si medendi obtinent facultatem, vesicam soluunt: subsident enim in ea humores, qui putredine immunes euaserũt: quippè vesica pro eius humoris conceptaculo habetur, qui minimè in ventre cõcoquitur, qui nõ manet, nec non prius, quam

agat

agat quiquam, aut patiatur, excernitur. At quæ terrenam sortiuntur naturam, si vires habeant medicas, aluum hæc fundere queunt. in hac enim terrena quæq. materia se prouoluit. itaq. turbat, si mouendi obtinet facultatem.

DISPVTATIO XLVII.

Nonnulla ex medicamentis aluum soluere, alia verò vrinam mouere, res est clarissima, & experientia constat. Ratio autem, cur id accidat, est cum Aristotele quoniam vrinam mouentia humida sūt, & aquea; aluum verò soluentia terrestria, & crassa. nimirum humidum omne aqueum excremētium, & inutile in vessica colligitur, vult dicere Aristoteles, propterea quandocumq. humida, & aquea sunt non nulla medicamenta, etiam in vessica colligantur necesse est, ibiquè perturbando vrinam denique mouent. è contra verò de aluum soluentibus medicamentis asserendum est; huius-

modi

modi enim crassa,& terrestria sunt,vtquè ter restria deorsum tendunt, & per consequens inferius turbando aluum mouent. pulcherrimę sanè rationes ex Aristotele assignatæ.

Sed vtrum vrina inutile excrementum sit, nulliusq. iuuaminis? nam quarto de vsu partium cap. 5.neq.enim,inquit Gal. ex vẽtriculo in venas commodè assumi poterat succus iam ex cibis factus,neq. facilè transgredi venas,quæ sunt in hepate,& multæ, & angustæ, nisi tenuis quidem, & aqueus humor, tãquam vehiculum fuisset ei admixtus, hunc itaq. vsum præstat animalibus aqua: siquidem ex ea nutriri nulla particula potest,distribui verò ex ventre, quod nutriturum est, non poterat, nisi deductum fuisset à quopiam ità liquido. Hos igitur tenues humores post quam suum opus expleuere,non oportet amplius manere in corpore, onus alienum venis futuros;& huius vtilitatis gra tia renes facti sunt instrumenta caua,osculis alijs attollentia, alijs autem emittentia tenue hoc, & aquosum excrementũ. adiacent autem vtrinq. ipsi venę cauæ parum sub hępate:nam vt idem Gal. 1.de sanitate tuenda docet à caua vena, statim vt egressa est he-

par

para,aquosa humiditas, siue vrina, in renes venit,tracta ab illorum trahendi potentia, qui ipsam à sanguine separantes expellunt per vias vreteras à græcis dictas, ad vesicã. Itàq. vrina aliquam habet vtilitatem, neq. inutile excrementum omnino est, dicet aliquis,cum motui sanguinis inseruiat.

Respondetur, quod aliud est dicere vrinam,aliud verò serum, & aqua: vtiq. serum, & aqua inseruit motui sanguinis,& eiusdem delationi per iecur,& venam cauam.at cum in vessica est,tunc propriè vrina dicitur atq. inutile excrementum est, quemadmodum feces in intestinis excrementa stabulantia dicuntur.

Sed æstò quod inutile excrementũ vrina sit, moueri tñ à medicamentis, quià eadem aquosa sint semper, negatur, dicet aliquis, nam diuretica medicamenta plurima dantur, quæ nequaquam aquosa sunt, vt petroselinum,fœniculum,apium,& alia huiusmodi à medicis recensentur.

Respondetur cum Gal. 5. de simpl. med. facult. quod medicamenta vrinam mouentia alia sunt calida,& sicca, alia vero frigida & humida,siuè calida,& humida. calida verò

rò, & ſicca mouent vrinas, quoniam ſua ſiccitate ſanguinem conſtringunt, quodammodò coagulant, & ſerum ab eodem ſanguine ſecernunt, atq. huiuſmodi fœniculum, petroſelinum, daucum, & alia huiuſmodi dicta ſunt. Frigida verò, & humida mouent nonnulla, vrinas, quoniam multam continent in ſe aquoſitatem, vel ſeroſitatem tenuē; vndè ſua tenui humiditate addita ſanguini, eundē humidiorem reddunt, tenuioremq. ſicque etiam magis ſeroſum, qualia ſunt ſemina melonum, cucurbitæ, & huiuſmodi alia, aliquid in ſe etiam abſterſiui habentia, & vrinam perturbantis, ſiuè mouentis. & de his vreticis, ſiuè medicamentis vrinam mouentibus intelligit hic Ariſtoteles quandò humida, & aquea eſſe medicamenta, quæ vrinam mouent, inquit; Aut humida, & aquea eſſe medicamenta, quæ vrinam mouent, ideò dixit Ariſtoteles, quoniam ſiuè calida, ſiuè frigida, ſiuè ſicca ſint diuretica, niſi ab humido ferantur ad veſſicam nequaquam vrinam mouere poſſunt. Vndè maximè valet aſsignata ratio Ariſtotelis; medicamenta ſcilicet nonnulla mouere vrinas, quoniam humida, & aquea ſunt: at humi-

midamedicamenta addit, & quæ vim turbandi vrinam habent; quemadmodum de purgantibus per ſeceſſum etiam ait.

Sed vtrum turbando medicamenta purgent, tertio loco quærat aliquis? nam Aſclepiades, referente Galeno lib. de natural. facult. cap. 15. & lib. de ſimpl. med. facult. humores purgare medicamenta dixit in propriam ipſorum ſpeciem tranſmutando. nonnulli antipatia, & veluti eoſdem humores fugando, vel pellendo. alij colliquando, & deniq. Hipp. in lib. de nat. humana medicamenta purgare, inquit trahendo, ſicuti ex terra naſcentia ſuccum ſibi magis familiarem exhauriunt, & ita communiter Gal. Auicenna, Paul. & alij tenent. Itaq. non turbando, & alijs modis medicamenta purgant, cõtra Ariſtotelem hic in probl.

Reſpondetur vtique trahendo, quemadmodum communis medicorum ſententia eſt cum Hipp. medicamenta purgantia euacuare; at trahendo turbant ſimul, vndè turbando etiam purgant veluti Ariſtoteles in probl. docuit.

DI-

DISPVTATIO XLVIII.

DICEBATVR superius cum communiori medicorum sententia medicamenta purgantia trahendo euacuare. Circà quod occurrit primò examinandum, quanam ratione trahant. & quidem omnis res inquit Mesue in theorem. primo Can. vniuersalis, duplici facultate dotata est, elementari videlicet qua calefacit, siccat, humectat, vel refrigerat: altera verò cælesti, hacque communi, vel sibi propria: propriamquè, vel cœlestem facultatem medicamenta ipsa purgantia præcipuè possident, quibus particulare est hunc humorem trahere, vel expurgare non illud, aut omnes successiuè. Sed omissa hac vi cælesti, & desuper à medicamentis recepta, nam Gal. 3. de simpl. med. facult. & alibi medicamenta quædam familiaritate, & similitudine trahere docuit, & Aloysius Mũdella epist. 1. ad Hieronymum Fracastorium negat cælestis virtutis poten-

tia medicamenta agere, vel operari: at vel agunt inquit suis qualitatibus manifestis, vel substantiæ familiaritate, & similitudine, vt etiam in eadem sententia Vallesius corriuat lib. 9. controuers. med. & philosophicarum cap. 1. quamquam Cardanus lib. 2. contrad. medic. tract. 1. cōtrad. 3. atq. Ioub. decade ij. paradoxo nono aliter sētiāt. Nam Ioubertus antipatia, & dissimilitudine humores à medicamentis fugari atquè purgari, inquit: Cardanus verò licet aliquam exhibeat similitudinem in purgationibus, hāc non inter medicamenta, & humores, at inter partes à medicamento infectas, & humores ait; sola inquiens virtus medicamenti inspiciens membrum, seù sine diminutione substantiæ medicamenti attrahentis, seu cū parua, facit vt membrum ratione similitudinis trahat humorem; deinde cum non possit nutriri ex eo, quamvis sit similis in substantia, expellitur ab eadem, & ideo post purgationem remanet nausea, & abominatio magna ratione impressionis. Sed si Antipatia, vt inquit Ioubertus, cur non omnia cōtraria purgant? si solū inficiendo substantiam purgant medicamenta, vt etiam inquit

Cardanus, cur non omnia inficientia? estò quod secundariò adsit partium infectio à medicamento, principaliter humores respiciunt eadem, & quatenus ijsdem similia eosdem etiam trahunt. Familiaritate igitur, & substantiæ similitudine medicamenta purgantia trahunt, & non alias, nec alio modo.

Sed si familiaritate, & similitudine trahunt medicamenta: cur eadem existente similitudine ab humoribus etiam ipsa nō trahuntur? quæ maior est ratio vt potius trahant, quam trahantur cum similia sint inter se adinuicem? v. g. rhabarbarum bilem trahit quia cum substantia bilis similitudinem habet: sed etiam bilis habet similitudinem cum rhabarbaro, cur ergò eadem rhabarbarum non trahat?

Secundo non vnus solummodo ab vno eodemquè medicamento, at omnes trahuntur, vt docet Hipp. in lib. de nat. humana, & tamen nō omnes humores cum vno eodemquè medicamento similitudinem habent.

Tertiò similitudo potest esse in pluribus, de qua nam similitudine intelligendum sit cum purgantia medicamenta similitudine trahere dicimus? nam si de primis quali-

tatibus intelligamus, rhabarbarum purgat pituitam, ac tamen nullam habet cum pituita similitudinem: quia nimirum rhabarbarũ calidum, & siccum est, pituita frigida, & humida.

Quidquid tamen de his sit, medicamenta familiaritate trahere, vt dixi, cõmunior sententia est, atquè magis recepta inter medicos magisque sensata. Non obstant autem quæ paulò antè afferebãtur, nam cur medicamenta trahant humores, non vero ab ijsdem humoribus trahantur, docuit Gal. 3. de simpl. med. facult. cap. 24. & 5. de ijsdem simplicibus cap. 16. vbi tractio, inquit, quæ à medicamento fit ab eiusdem calore celebratur, calidum est quod perpetuò trahit est vero idem calor per se indifferẽs ad quamcumquè tractionem, vndè hic potius quam alius, vt trahatur humor id agit substantia ratione similitudinis, eidem veluti calori imperans; quandocumquè verò duo inter se similia sunt illud trahet, quod in calore magis valet, quod verò in eodem calore nõ viget, trahitur potius: nam calor primum est principaleque naturę instrumentum, & quęcumquè calidiora validiora etiam sunt in

suis actionibus, & sic rhabarbarum trahit bilem v.g. quoniam eadem bile calidius est, sicuti de alijs asserendum est. Neque obstat quod interdũ dari possit bilis aliquo rhab. calidior fortasse; nam tamen etsi secundum totum bilis rhabarb. calidior videatur, nihilominus in eodem rhabarbaro, respondetur, adesse particulas tota bile calidiores, in actuatione quam à ventriculo recipit emergẽtes. Et si fortè fortuna detur casus quo bilis rhab. calidior sit, rhabarbarum non trahet, at potius trahetur, quemadmodũ Hipp. in lib. de medicamentis purg. quicumq. inquiens à febribus fortibus capiũtur his medicamenta purgantia dare nõ oportet: carnes enim ægrorum cũ calidæ sint, medicamedicamẽtum assumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi regij speciem præsefert.

Secundo non vnum solummodo humorẽ ab vno eodemque medicamento trahi in contrarium afferebatur, at omnes cum Hipp. Ergò medicamẽta nequaquam familiaritate trahunt. Respondetur principaliter vnum trahi à quolibet medicamento magisque familiarem, plures verò trahi secundario vt pote-

pote minus familiares minusque similes; nullum verò medicamentum trahere posse quod cum humore trahēdo familiaritatem aliquam non habeat.

Sed de qua familiaritate, vel similitudine intelligatur tertio loco quærebatur: Et quidem similitudo medicamentorum cum humoribus non requiritur vt sit in primis qualitatibus, calore inquam, frigore, humiditate, & siccitate, sed in illis accidentibus, quæ consequuntur ipsum substantiæ modum, qui nascitur ex modo mixtionis. Hæ inquit Vallesius qualitates sunt, color crassities aut tenuitas, friabilitas, aut contrarium, & tales aliæ, quæ videntur esse magis ex parte materiæ. Talis itaquè similitudo cum inest medicamento trahitur familiaris succus, vel similis humor.

Sed supposito tandem quod humores familiaritate, & substantię similitudine trahātur à medicamentis, in huiusmodi verò tractione, an requiratur contactus corporalis, an verò satis sit virtualis? nam exhibito medicamentò interdum statim humoris expurgatio celebratur, ità vt videatur impossibile quod contactus corporalis præcesserit: vndè

contactus corporalis medicamenti, & humoris vt semper præcedat in purgationibus non videtur necessarium. Sanè ita se res habet sententia mea, & ad purgationem efficiendam contactus virtualis sufficientissimus est, nimirum in ventriculo solum corporaliter existens medicamentum, potest à qualibet parte corporis humores trahere, & expurgare: sicuti magnes etiam si distans à ferro, idem tamen ferrum contactu solummodò virtuali ad se trahit, non autem ad idem tendit pro peragenda tractione vt experientia constat.

PROBLEMA XLII.

Cur alia ventrem mouent superiorem, alia inferiorem, vt veratrum suptriorem, scammonium inferiorem: alia vero citant vtrumquè, vt elaterium, & tapsiæ succus? an quod ex medicamentis, quæ ventrem mouent, alia frigida, alia calida sunt?

itaquè

itaquè alia propter suum calorem protinus, ut in superiori ventre fuerunt, loca petunt superiora, ac inde liquefaciendo maximè, quæ aliena sint minusque insidientia, sed etiam quæ insunt naturæ intima medicamento scilicet vehementiori epoto, aut copiosiori quam natura patiatur tam ea ipsa, quam quæ excrescentia adfuerint in ventriculum deducunt: hic vero feruore excrementa perturbant flatumquè excitant multum, qui obsistens vexansquè demum vomitum mouet. alia quod natura frigida sunt deorsum versus pondere suo labuntur, etiam priusquam quidquam, vel afficiātur, vel agant, ac indè proficiscentia idem actitant, quod superiori: vbi enim per addita foramina illinc ascenderunt, atquè materiam agitarunt, eodem tramite secum, quæ corripuerint excre-

menta colliquamentaque deducunt. At genus medicamenti quod qualitatis vtriusquè particeps, mixtumquè ex calido frigidoque est, hoc ob eam vtramq; facultatem, rem potest vtrãquè conficere. Hinc, & medici mixtis sibi generibus sæpè medicinas componunt.

DISPVTATIO XLIX.

VOMITVS ἔμετος grecè dicitur, & nihil est aliud quã deprauatus expultricis ventriculi motus, vt scilicet ea quæ in eiusdem vẽtriculi capacitate existunt fluitant atque cõsistunt, quam citissimè per stomacum reijciat. Est idem motus duplex alius spontinus, alius verò non spontinus. Spontinus à natura absquè vllo auxilio fit, non spontinus verò ope, & auxilio medicamenti celebratur: de hoc verò vomitu in præsenti Aristoteles loquens, cur nonnulla me-

medicaměta vomitum cieant, alia verò per aluum purgent, alia deniquè citent vtrumquè quærit. Et quidem medicamenta vomitum efficientia sunt triplicis generis, inquit Mesue, nam alia leuia sunt, alia mediocria, alia verò vehementia: lenia sunt semen Aneti, Atriplicis, Porri, Nigelle, Rapi, radicis, Raphani, Semen Cæpæ, Asarum, aqua hordei cũ sua fæce, Sirupus acetosus, Butirum crudum, Radix melonis cum oximelite, vel vino propinata ad pondus 3.1.

Mediocria sunt, quæ mundificant venas meseraicas, & quorum virtus vsquè ad epar extenditur, vt sal gemma, Sal indus, radix narcisi, Balanus Myrepsica maior, flos genistæ, succus radicum Ebuli, succus corticis medianæ, radicis sambuci, Nux vomica ad pondus 3.11. cum aneti decocto, baccæ, & folia lauri, Agaricum cũ Sirup. acetoso exhibitum.

Vehementia deniquè vomitoria sunt illa quæ ad Epar perueniunt, venas remotas, & membra longinqua etiam expurgant, qualia sunt Elleborus albus, stibium, Tymelea, Balanus Myrepsica minor, Cataputia, Ricinus, Tapsia, Ruta agrestis, Cucumer siluestris,

ſtris, & alia ſimilia, quorum quidem omnium medicamentorum numerus infinitus eſt. Cum ergò varia ſint, & plurium ſpecierum vomitatoria, de quibus nam intelligendum hic in probl. dicet aliquis? & quidem cum genericè loquatur Ariſtoteles, breuiter de omnibus etiam intelligendum reſpondetur. Cur nimirum quærit Ariſtoteles nonnulla ex medicamentis aluum moueant, alia verò per vomitum, alia verò per vtramquè partem: & an reſpondet quoniam ex dictis medicamentis nonnulla calida ſunt, alia frigida, alia verò de vtroquè participant?

Sed dicebatur ſuperius cum Gal. 3. de ſimpl, med. facult. & alibi, cum communiori etiam medicorum ſententia, medicamenta purgantia, & extrahentia calida eſſe. igitur non dantur ex medicamentis quæ frigida ſint, cum calida omnia ex Gal. dicantur. Vtiquè genericè loquendo medicamenta omnia purgantia, & extrahentia calida ſunt reſpondetur, nam vt calida trahunt, & non alias; at frigida cum dicuntur ex Ariſtotele reſpectiuè loquitur, & in ordine ad magis calida: illud enim quod minus calidum eſt, etiam frigidum reſpectiuè appellatur apud om-

omnes tam philosophos, quam medicos.

Medicamenta igitur vomitum nonnulla mouent quoniam calida sunt, hoc est valdè calida in suo genere. Vndè propter suum calorem protinus, vt in superiori ventre fuerunt, loca petunt superiora, ac indè liquefaciendo maximè quæ aliena sint, minusque insidentia, sed etiam quæ insunt naturæ intima medicamento scilicet vehementiori epoto, aut copiosiori quam natura patiatur, tam ea ipsa, quam quæ excrescentia adfuerint in ventriculum deducunt: hic feruore excrementa perturbant, flatumq. excitant multum, qui obsistens vexansquè demum vomitum mouet: alia quod natura frigida sunt, deorsum versus pondere suo labuntur, etiam priusquam quidquam, vel afficiantur, vel agant, ac inde proficiscentia idem actitant quod superiori: vbi enim per abdita foramina illinc ascenderunt, atquè materiam agitarunt, eodem tramite secum, quæ corripuerint excrementa colliquamentaque deducunt. At genus medicamenti quod qualitatis vtriusque particeps, mixtumquè ex calido frigidoque est, hoc ob eam vtramque facultatem potest rem vtramque conficere.

Hinc

Hinc medici mixtis sibi generibus sæpè medicinas componunt. Hæ inquam sunt Aristot. in probl. rationes, ex quibus duæ aliæ exurgunt dubitationes. Vtrum scilicet liquefaciendo vomitatoria purgent, vt per verba illa, ac indè liquefaciendo, indicat Aristoteles. Secundo vero vtrum perturbando, vt ex alijs verbis, hic verò feruore excremẽta perturbant, flatumque excitant multum? Nam vt superioribus dicebatur, referente etiam Gal. 1. de nat. facult. cap. 13. medicamenta liquefaciendo purgare erat opinio Asclepiadis, atque experientia ipsa idem docet, liquida enim excernuntur semper excrementa in purgationibus quibuscumq. vt sensu patet. Sed quamquam liquefactio humorum aliqua requiratur ad eorundem purgationem, tamen non id agendo principaliter medicamenta purgant, sed trahendo vt decretum fuit: liquantur nimirum, & tanquam dispositio liquefactio humorũ requiritur ad quamcumque purgationem efficiendam: at purgatio omnis principaliter cum similitudine trahendo celebratur. Vtrum verò perturbando etiam purgent medicamẽta, vt docet Aristoteles sanè declaratum

fuit

fuit pariter superius: trahendo purgant videlicet medicaměta, at simul trahědo etiam perturbant, & sic turbando, liquefaciendo, sed particulariter trahendo vim purgandi obtinent medicamenta quecumque vt dicebatur.

PROBLEMA XXXXIII.

CVr medicamenta purgare valeant cum alia pleraque amariora ceterisque eiusmodi qualitatibus insigniora id facere nequeant? an quia non ob eiusmodi vires purgandi obtinent facultatem, sed quia concoqui nequeunt? etenim quæ ob excessum caliditatis, aut frigiditatis, quam vis exiguo corpore incoctilia sint, aptaque vincere, non vinci ab animantium calore, resoluiq; eadem facilè à ventre vtrolibet possint, hæc medicamenta habentur. Vbi enim ventrem adierunt resolutaque sunt,

sunt, statim ad venas per easdem feruntur semitas, quibus permeat cibus: mox cum nihilo concoqui potuerunt, sed victrice perstiterint potentia, relabũtur, & quæ sibi obsistunt secũ detrahunt: quæ res purgatio vocitatur. Aes verò Argentũ, cæteraq́ generis eiusdẽ, etsi concoqui à calore animaliũ nõ possunt, sed resolui à vẽtribus nequeunt, Oleum, Mel, Lac cæterique eiusmodi cibi purgãdi quidem vim habent, sed quantitatis ratione: vbi enim ob nimiam sui copiam concoqui minimè potuerunt, tum purgant si quando id facere possunt: duabus enim illis de causis aliquid concoqui nequeat, aut quia generis peruicacis est, aut quia modum excesserit. Quamobrem nihil ex prædictis medicamentum est: quippè cum nõ ob aliquã sui facultatem purgare valeat. Acerbitas autem, Acor, malusque

odor

odor medicamenta comitantur, eo quod genus medicamentorum cibo contrariũ est, quod enim concoctum à natura accessit id corporibus adhærescit, alimentumque appellatur: quod autem conuinci domariq; minimè possit, sed venas ingressum per excessum caliditatis frigiditatisve suæ perturbet, hoc naturam sanè obtinet medicamenti.

DISPVTATIO L.

MIRVM fortasse videbitur alicui, quod hęc quęstio duabus præcedentibus præposita non sit; nam prius examinandum videbatur cur pharmaca purgent, quam rationem quærere cur purgent per superiora, vel inferiora, per aluum, vel per vrinas, & huiusmodi alia. Sed problemata sunt veluti aphor. quæstiones nimirum separatæ vt plurimum, nequè semper inter se connectentes, vt alibi asserebamus. Quærit in præsenti probl. Aristoteles rationem cur medi-

medicamenta purgent, nam aliqua dantur præter medicamenta quæ amara ſunt, vel alterius ſimilis qualitatis, ac tamen non pur gant, vult dicere Ariſtoteles. Cur ergò id accidat, vt hæc purgent, exempli gratia, illa verò non, quamquam inter ſe ſimilia ſint? At non quià amara, vel alterius ſimilis qualitatis excedentia ſunt pharmaca purgant, reſpondet Ariſtoteles, ſed quia incoctilia ſunt; in hoc ſubdens medicamentum ab alimento differre, quod alimentum concoquitur atque corporibus adhæreſcit; medicamentum verò neque concoquirur, nequè corporibus adhæreſcit, tametſi venas ingrediatur.: & hæc eſt ſumma reſolutionis præſentis probl. Circa quam occurrunt variæ dubitationes: prima eſt cur de medicamentis agendo Ariſtoteles eadem amariora eſſe præcipuè dicat, atque de ſapore amaro potius in ordine ad eadem loquatur? an quia omnia medicamenta purgantia, & extrahẽtia calida ſunt cum Gal. in ſuperioribus; & quæ in exceſſu calida etiam amara per eundem lib. de facult. ſimpl. medicamentorũ: ſicuti quę acida frigida ſunt, dulcia verò temperata. Ideò de medicamentorum ſaporibus

in præ-

in præsenti agendo Aristoteles iure merito amari antè omnia meminit.

Secundo Aes,& Argentum, vel huiusmodi alia non cõcoquuntur,ac tamen non purgant. Ergo pharmaca non quia concoqui non possunt purgant, at alia ratione dicet aliquis.

Tertia Mel, Oleum, Lac, talesque huiusmodi alij cibi concoquuntur, & in substantiam aliti transmutãtur, & nihilominus purgant. Ideo ratio purgationis non in eo solum consistit quod non concoquantur, sed in alio,cum nonnulla dentur,quę etiamsi concoquantur,purgant.

His duabus rationibus respondet breuissimè Aristot.& primo Aes, & Argentum tametsi non concoquantur, tamen purgantia non sunt, quoniam à ventribus dissolui non possunt: non satis enim est ad medicamenti purgantis essentiam constituendam vt non concoquatur, verum etiam vt dissoluatur, quod concoquendum est. Vbi enim ventrem ingressa sunt medicamenta inquit in princ. probl. Aristoteles, & diffusa ad venas, per easdem semitas feruntur quibus permeat cibus,concreta autem,sed victoriam adepta

relabuntur, molesta secum ferentes: Et in fine eiusdem probl. Quod autem legitur non est aptum natum vinci, venas ingrediens per excessum caliditatis, aut frigiditatis perturbat, hæc vtiquè est medicamẽti natura; medicamenta inquiunt medici, & præsertim Gal. 5. simpl. cap. 25. ad hoc vt purgent debent à natura actuari, hoc est si crassa sunt dissoluuntur vt penetrationi apta reddantur, vnde etiam quo magis apta ad penetrationem, eo etiam fortiorem efficiunt purgationem, quò verò minus debiliorem: alia enim medicamenta dicebamus vẽtriculum & primas vias purgant, alia epar, alia verò venas, & vsquè ad solidas partes perueniũt. Non solum igitur incoctilia esse debent, quæ purgant, verum etiam, & liquabilia, vt Aes, & Argentum, vel alia similia non sunt.

Sed ex his Aristotelis, dicet aliquis, non posse medicamenta purgare colligitur nisi transfusa per venas, & partes sint; ac tamen in venas substantialiter transfundi videtur falsum, cum sæpè sepius solo odore medicamenti nonnullos purgari cõperiatur, atquè breuissimo etiam tempore nonnunquam purgationes celebrenter, itaut verisimile

non

non videatur quod medicaméta actualiter, vel substantialiter in venas deferantur pro purgationibus efficiendis, cum motus iste medicamentorum breui dicto tempore fieri non possit.

Respondetur, vel per odores, vel quomodocumque medicamenta purgent, semper aliquid eorundem medicamentorum, aut vaporis, aut substantiæ tenuioris, aut deniq. alterius virtutis ipsorum per venas delabitur cum purgatio celebratur, vt Aristoteles hic optime docet, & post ipsum Galen. loco paulò ante dicto. Neq. obstat quod medicamenta interdum breui tempore purgēt, vndè verisimile nō sit eodem quoque tempore breuiori venas substantialiter petijsse: nam purgantia tāquam calidiora velocis motus sunt, breuiter agunt, sese ad venas deferunt, & saltem secundum eorum virtutem sic denique purgant.

Oleum tertio loco dicebatur, Mel, Lac, & alia similia purgant. Ergò purgatio non in eo consistit in medicamentis, quod incoctilia sint, cum aliqua dentur medicamenta, & alimenta simul: Vndè etiam Hipp. in lib. de aliméto, & alibi, in alimento medicamentum

bonũ afferebat. Respődet idemmet Aristot. quod huiusmodi non purgant qualitatis, vel similitudinis ratione, at quantitate, & hæc proprie purgantia non sunt, de proprie enim purgantibus loquitur in præsenti Aristoteles, atque de ijs medicamentis quę electiuè, similitudine, vel sympatia humores sibi magis familiares trahunt, vel purgant.

PROBLEMA XLIV.

CUr Piper si largè sumatur vesicam soluet, si parcè aluum, è contrario Scãmonea, si largè sumatur aluum soluet. si parcè, & quæ vetus est vesicam? an quia singula magis à singulis mouentur? Piper enim magis vrinam ciet, Scãmonea aluum. Itaquè si piper copiosius sumptum est ad vesicam defertur, nec se in aluum diffundit: sed si exiguum cæperis, retentum id aluum soluet, atquè ità medicamentum eius exi-

existet: Scãmonea verò, quæ data copiosius est retinetur, vt resoluatur; resoluta iam medicamentum efficitur ob causam, quam, quam superius proposuimus: at si exigua vna cũ epoto humore per inuisibiles meatus imbibitur, ac celerius antequam perturbet, in vesicam defertur; quæ pro sua facultate recrementa colliquamentaque residentia per summa abducit : sed illa multa, vt dictum est, quod diu ex virium soliditate permanserit, largè expurgat, sordesquè terrenas potissimum detrahit.

DISPVTATIO LI.

IN primis statuendum est de quo nam pipere intelligatur: nam piper fructus est, inquit Theophrastus libro 9. de hist. plant. cap. 22. eius genera duo. Vnum enim rotundum erui modo tegmine carneque constans, sicut laurina bacca, subrutilum. Alterum oblongum nigrum, semina papaueris continens, longè hoc validius altero, ambò vim calefactoriam continent. Dioscorid. etiã lib. 2. cap. 151. Piper inquit in India nascitur breui arbore traditur, quæ inter initia longum fructũ veluti siliquam promit, quod longum piper est; habet intus aliquid tenui milio simile, quod tandem in perfectum piper euadit. Id autem suis temporibus dehiscens, pandensq. sese, racemos emittit grana ferentes, qualia videmus. Et acerba candidum piper faciunt, matura verò nigrum, quamquam (Garzias ab Horto varias esse

ali-

alibi,& nigri piperis plantas referat,ac piperis quidem nigri fruticem à candidi frutice æque, ac nostratium vitium genera inter se discrepare.) Cum ergò piper multiplex sit, atquè Aristoteles de eodem hic generaliter loquatur, de omni etiam pipere intelligendum esse ego dicerem:nam & quodcumquè piper cum Dioscoride loco dicto vim calefaciendi atquè vrinam ciendi habet.Scammonea etiam succus est cuiusdam fruticis σκαμμωνία etiã græcè appellatæ: dupliciter aũt apud nos in vsu nunc recipitur, præparata scilicet,necnon sinè præparatione. atq.præparata græci recentiores δακρύδιον appellant, hoc est quasi lacrimula.Neoterici verò latini corrupto vocabulo diagridion vocant, succũ scilicet Scammonię in succo Citoniorum coctæ,ne stomachum offendat. Cum inquam Scammonia dicat Aristoteles genericè loquendo,de vtroquè succo intelligendum esse ego dicerem. Nam,& Scammonia propriè appellata quemadmodum Diagridion deiectoria sunt,& vim purgandi per secessum habent.

His verò nunc positis de pipere, & scammonia, quærit Aristoteles cur piper si largè

ſumatur veſſicã ſoluit,ſi parcè aluũ:è contra ſcãmonia,ſi largè ſumatur aluũ ſoluit,ſi verò parcè,& quæ vetus eſt veſſicã:Et an quià, reſpõdet, ſingula magis à ſingulis mouẽtur, piper enim magis vrinã ciet, ſcãmonia vero aluum. In maiori quantò maior eſt virtus, vndè diuretica in maiori quantitate maiorẽ etiam mingendi potentiam efficient: ſicuti ſcammonia in multa quantitate multum etiam deiectoria erit. Quodſi haud in multa quãtitate huiuſmodi duo exhibeantur, vim eriam operandi,nec propriam habent,vndè vincuntur vt ita dicam à natura, nequè per ſolitos meatus tranſmittuntur, at per diuerſos,vel contrarios; in quibus deindè vi purgatiua qua pollent turbando, aliquam efficiunt euacuationem, & ſic ſcammonia in pauca quantitate deducta ad veſicam turbat eandem, vrinamque mouet. Piper verò in pauca quantitate ſumptum inteſtina petit, ibiquè vellicando aluum mouet. Piper itaquè in multa quantitate mouet vrinam, in pauca per ſeceſſum; ſcammonia verò è contra,& ita etiam Serapion tenuit in tract. de ſimpl.med.cap. de pipere, & ſcammonia atque ita communis eſt ſenſus.

Sed

Sed Auic. dicet aliquis Can. 2. cap. de pipere contrarium docuit, piper nimirum in pauca quantitate vrinam mouere, sicuti in multa secessum, scammonia verò è contrà.

Secundo Hipp. 4. de ratione victus in morb. acutis, si venter murmurauerit, inquit, & alui excretiones biliosæ fuerint, scãmonia data moderatè purgabis. ergò scammonia etiamsi exhibeatur in pauca quantitate per secessum maximè purgat.

Tertio quæ de pipere hic ait Aristoteles, & scammonia, vtrum de omnibus alijs diureticis atquè catharticis dici possint?

Quarto, & vltimo cum de larga, vel modica exhibitione scammoniæ hic loquatur, quænam sit huius succi dosis ordinaria quæret aliquis?

Et quidem quoad primum, quamquam Auicen. Can. 2. cap. de pipere, his Aristotelis cõtraria loquatur, nihilominus cum Aristotelis sententiam subscribat Serapio, vt audiuistis cum alijs medicinæ doctoribus, cum Andrea Belluensi in suis castigationibus, textum Auic. corruptum esse, vel potius deprauatũ, dicemus, atquè contrario modo cum Aristotele hic legendum esse.

Se-

Secundo cum Hipp. in acutis ſcammonia data moderatè purgabis inquit, dictio illa moderatè non cadit ſuprà verborum dato, reſpondetur, at ſuprà verbum purgabis: purgabat autem moderatè ſcammonia antiquò tempore, quoniam alia ratione præparabatur quod nunc fortaſſe.

Tertio, quæ de Pipere, & ſcammonia hic loquitur Ariſtoteles etiam de omnibus diureticis, atquè de iectorijs medicamentis intelligenda ſunt, cum ijſdemmet virtutibus polleant; loquitur verò particulatim Ariſtoteles de Scammonia, & pipere, quoniam hoc præcipuum diureticum, illa vero præcipuum eſt atq. ſummum deiectorium medicamentum, quo medici ferè in omnibus cõpoſitionibus catarticis tanquam vehiculo, atquè ad purgandum ſtimulo vtuntur.

Vltimo loco quærebatur iuſta doſis ſcam moniæ, nam variȩ ſunt apud varios auctores Paul. lib. 7. cap. 4. ſcammoniã vult dari pondere obobolorum quatuor cum ſale, aut pipere, aut zingibere alioue quodã ſimili, ſtomacho grato, aut cum melle, ſed dummodo febris abſit, & ſtomacho bene affecti ſint qui hunc ſuccum capere volunt. Aetius lib. 3.

cap. 25.

cap.25.dari scribit scãmonium ad ℥. ij. plus minusiuè. Plin lib. 26. cap. 8. dedere inquit, & per se ex aqua mulsa, & sale quaternis obolis. Oribasius succi scammoniæ ad summum ℥. 1. dari inquit, & denique Mesuæus eiusdem succi grana xij. minimè trãscendenda docet. Vnde largè sumpta scammonia erit circiter grana duodecim, in pauca verò quantitate sumpta erit circa tria vel quatuor grana.

PROBLEMA XLV.

CVr inflammationes easdem alij frigefaciendo sanent, alij calefaciendo concoquant? An quod illis per refrigerationem, his verò externum calorem, caloris sui copiam colligere placet.

PRO-

PROBLEMA XLVI.

CVr mutari Cataplasmata debeant? An vt plenius sentiatur? solita enim vt ea quæ ventriculo mandamus non amplius medicamenta sunt, sed pro alimentis recipiuntur: sic etiam hæc fungi suo munere nequeunt.

DISPVTATIO LII.

DICTIO φλεγμασίας qua vtitur in præsenti probl. Aristoteles, æstus, Ardores, & inflãmationes significat. Dicitur autem inflammatio duobus modis, inquit Gorreus lib. definit. in proprio verbo, vno quidem generaliter omnis ardor citra tumorem, vel etiam tumor cui dolor, & ardor qui proprie φλόγωσις dicitur inest, siuè is à sanguine, siuè à bile, siuè ab humore melancoli-

co gignatur: hæc fuit apud veteres τῆς φλεγμονῆς significatio. Altero specialius dicitur, & ab Erasistrati seculo cæpit vsurpari ad illos tumores significãdos, quibus non modò calor accedit, sed renixus etiam, & pulsus, & rubor: ij enim quià frequentius contingunt, idcircò totius generis appellationem sibi vendicarunt. Est autem huius phlegmonis specialiter dictæ continens causa sanguis, subiectum autem musculus, quippe calidus, & copiosus sanguis, vbi in musculum procubuit feruorem inducit, aliaq. plurima symptomata. Cum autem Aristoteles in præsenti non dictione φλεγμονῆ, at generalius loquendo φλεγμασίας vtatur, ideò de omni etiam inflammatione intelligendum problema ego dicerem. De qua inflammatione in generali cur easdem curando alij quidem infrigidando sanant, alij verò calefacientes concoquunt? duplex enim est modus curandi inflammationes apud Medicos, vnus quidem refrigerando, alter verò calefaciendo. refrigerando inquam, nam externa applicatione refrigerantium medicamentorum congregatur calor naturalis, inquit Aristoteles, preternaturalis tollitur, atquè humor faciẽs in-

inflammationem digeritur vel resoluitur, & per consequens inflammata pars solis interdum refrigerantibus medicamentis ad naturalem statum reducitur: quæ tamen medicamenta refrigerantia præcipuè in principio administrari solent, vt docet Auic. 3. 4. Can. Aut refrigerando interdum sanantur inflammationes, quoniam, vt contraria corrumpunt, vel extinguunt calorem facientem inflammationem ipsam, vel deniq. potest accidere, vt refrigerantia sanent inflammationem ex eo quià concoctio non fit ab omni calore, & excedenti præsertim, at à calore tali, & moderato per Aristotelem 4. Metheor. vndè per refrigerantia temperato calore partis affectæ, deindè à naturali, & proprio calore sanatio fit eiusdem inflammationis.

Alter vero modus sanandi inflammationes erat calefaciendo; nam congregatus in parte aliqua humor inflammatorius, cum non possit digeri, nec alio pelli, concoquatur necessè est, & ad suppurationem deducatur: hoc autem præcipuè calefacientibus medicamentis adhibitis celebratur, & aucto calore in parte concoquente. Et sic refri-

ge-

gerantibus inquam in principio adhibitis; calefacientibus verò in statu, vel circà finẽ. Medicamenta verò calefacientia neq. etiam omnia ad concoctionem inflammationum apta sunt, sed quæ temperatè calida sunt atquè humida simul: nam concoctio humoris est similis concoctioni alimenti per omnes medicos, concoctio verò alimenti est species elixationis; elixatio autem est concoctio à calore humido per Aristotelem 4. Metheor. 4. Igitur tempèratè calida, & humida medicamenta sunt quæ inflammationes concoquunt: qualia exempli gratia fomenta sunt, inunctiones, Cataplasmata, de quibus Cataplasmatibus loquens in probl. Aristoteles 46. quærit cur eadem permutari debeant? Et an quia respondet, vt magis sentiant, quoniam consueta in nutrimentum vertuntur, & non amplius medicamenta sunt. Assuescunt continuata medicamenta naturæ, & non amplius operantur vult dicere Aristoteles: nam agit natura in medicamentum quemadmodum medicamentum in naturã, omne autem agens in agendo repatitur cum Aristotele in Phis. vnde longa actione natura reagendo in medicamentum superat, vin-

cit,

cit, & ſibi ipſi aſſimilat, & medicamentum dictum deniquè amplius non operatur: ideò cum Ariſtotele Cataplaſmata maximè permutari debent, nequè de omni inſuper permutatione intelligi debet, ſed de permutatione numerica, aut eiuſdem ſpeciei, itaut idem Cataplaſma in ſupraſcriptis inflammationibus concoquendis, aut ſępe renouetur, aut eiuſdem ſpeciei aliud ſemper iterumque, & ſæpè applicetur: non autem in contraria Cataplaſmata traſcendēdum eſt, quoniam ſæpius cataplaſmata permutari debere Ariſtoteles hic docet.

Sed quod de Cataplaſmatè hic loquitur Ariſtoteles, vtrum etiam, & in omnibus alijs medicamentis verificetur, vt ſæpè medicamenta permutanda ſint ad hoc vt agant? nam Seneca lib. 2. epiſt. ad Lucilium, nihil æquè inquit ſanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio. atquè Gal. 7. Κατα γένη 4. qui explorata contemnens noua ſemper remedia tentat flagitioſè facit. Hipp. etiam 2. aph. 53. omnia ſecundum rationem facienti non eſt tranſeundum ad alia ſuppetente eo quod ab initio probaueris. Celſus deniquè lib. 3. cap. 12. ſæpè, docet, pertinacia iuuan-

iuuantis malum corporis. Aristoteles verò de cataplasmate, vt audiuistis permu anda esse docuit. Gal. etiam 5. de sanit. tuend. & Auic. fen. 4. Primi cap. 1. melius esse inquiũt in longis valetudinibus medicamenta permutare, nam assuescit natura non solum alimentis verum etiam medicamentis, vt Mulier Atheniensis nutrita Nappello demonstrauit, quod Gal. refert 3. de simpl, med. facult. cap. 11. Atque Rex Mitridates frequenti etiam vsu venenorum à venenis deindè immunem se reddidit. Pro hac sanè quæstione breuiter enodãda, cataplasmata permutanda esse docet Aristoteles, vt plenius sentiantur: nam consueta in nutrimentum vertuntur: sunt ergò permutanda medicamenta si amplius non sentiantur, & naturæ assimilata fuerint: non autem omni tempore, & sinè causa. Errant nonnulli, inquit Vallesius super primum de diff. febr. cap. 5. qui multis, vel varijs medicamentis assiduè vtuntur, & quoties ad ægros accedunt toties errant dicebat ille alter.

PROBLEMA XLVII.

Cur cibum imminuere laborem augere ſalubre eſt? An quia cauſa ægrotandi excrementorum habet nimietas, quæ tunc certe exultat cum, aut cibus ſupereſt, aut labor deeſt?

DISPVTATIO LIII.

DVO ſunt ad ſanitatem conſeruandam maximè neceſſaria, nempè cibũ imminuere, & laborem augere. Vndè Hip. antè omnes 6.epid.ſect. 4.tex.vlt.exercitatio ſanitatis non ſaturitas cibi non refugere labores aſſerebat; quam ſententiam confirmat etiam Gal. ibidem, necnon etiam in lib. ad bonas artes. Et quoad exercitationem vſus firmat, otium tabefacit, inquit idem Hippoc.lib. de medica officina com. 3. tex. 25.

atque

atque Gal. in com. effeminatur siquidem corpus cuiuscumquè, qui in otio degit, & eneruatur; firmatur autem, & corroboratur cum aliquid exercet. In lib. de art. com. 3. tex. 104. iterum Hipp. quæcumque in corpore ad aliquem vsum fabricata sunt cum eis moderatè quis vtitur atque laboribus illis exercet quibus singula sunt assuefacta, ea & benè valent benequè adolescunt, & senectutem commodè tolerant: cum verò ab opere vacant, ac otio dediti sunt, morbosa euadunt, incremento defraudantur, citoque senescunt: Deniquè in lib. 1. de diæta non potest sanus degere nisi quoque laboret legitur: nam motus siuè labor vim habet corpora calefaciendi, viresque eorum corroborandi, vndè, & membra etiam melius aluntur, inquit Gal. lib. de fract. com. 2. tex. 59. com. 1. tex. 61. in lib. vero de cibis boni, & mali succi ad sanitatem tuendam si corpora moderatè exercentur mirum in modum prodest, at contra quies, & otium diuturnũ maximè illis nocumento est. lib. de vsu paruæ pilæ cap. 1. quantum ad valetudinem tuendam exercitationes conferant Medici, & Philosophi docent. In lib. de consuet. fa-

cultates nostræ quæcumque illæ sint robur sibi comparant, si moderatis congruentibusque exercitijs foueantur : nam temperatus sanguis ab exercitatione moderata nascitur cum Galen. eodem libro primo de sanitate tuenda, atquè ab exercitatione firmitas quædam membris accidit, cum etiam naturalis ipse calor accendatur, & ex partium inter se attritu duritia quædam indolentiaque comparetur. Paulus insuper Aegineta libro primo capitulo 73. porrò, inquit, quemadmodum summum otium maximè valetudini tuendæ obest, ita mediocris motus summum adfert præsidium. Isocrates in oratione ad Demonicum, nam corpora quidem ait moderatis laboribus, vt anima studiosis orationibus augeri solet. Et deniquè Homerus libro 8. & libro 14. Odisseæ exercitationem sanitatis causam sæpè concinit. Ex quo Cicero, vt refert Plutarchus, cum esset valetudinarius, & canchostomacus dedit operam Pedotribe, atque ita corpus robustius firmiusq. fuit: & Hismo Eleus neruorũ imbecillitate laborans fuit ab exercitatione maximè sanus cum Pausania in Eliacis po-

posterioribus. Sed vt exercitatio salubris est, ita etiam è contrà otium insalubre, nam vsus firmat, otium verò tabefacit cum Hipp. in lib. de medica officina com. 3. text. 25. otium quiescentium membrorum vires reddit imbecilles, inquit Gal. lib. de medica officina com. 3. tex. 25. quies auget putrefactionem 3. de morbis vulgaribus com. 3. tex. 1. vt exemplo vestes sunt, quæ immobilitate putrefiunt. & denique primo de cibis boni, & mali succi cap. 2. quies legitur, & otium diuturnum maximo hominibus momento est.

Exercitatio igitur maximè sanitatis causa est: ratio est autem cum Aristo. in probl. quoniam ægrotanti causam excrementorũ nimietas habet: sed sic est quod labor prohibet excrementorum nimietatem, ergo labor salubris est etiam ad sanitatis conseruationem.

Cum autem excretio siuè labor salubris sit, quid nomine eiusdem intelligatur nunc quæret aliquis, quisnam labor idem agat, quando, vbi? Et quoad primum quæsitum Gal. 3. epid. com. 2. Egroto quinto, scimus autem, inquit labores Hipp. nominare exer-

citationes:exercitatio autem, vt in superioribus alibi declaratum fuit, nihil est aliud quam motus quilibet in ordine ad sanitatem factus, at mihi quidē nō quiuis motus exercitatio videtur, subdit Gal. 2. de sanit. tuenda, sed tantum si quis vehementior sit. terminus igitur vehementiæ est anhelitus alteratio, quando in quibus nulla fit anhelitus mutatio has nōdū exercitationes vocamus, quod si quis maius celeriusq., aut crebrius iam ex motu aliquo respirare cogitur, huic certè tantus motus exercitatio fuerit. inter cæteros verò motus apud Celsum lib. 1. c. 2. commodè exercent clara lectio, Arma, Pila, Cursus, ambulatio; atque dignum etiam sic tu est, inquit Gal. lib. de puero Epileptico, & frictionem exercitationem esse imbeecillioribus præsertim corporibus, magis verò particulariter in lib. de vsu paruæ pilæ c. 4. eam potissimum exercitationem laudo, & probo, quæ, & corpus conseruare validum, & membra retinere integra compositaque, & animum præterea vegetū alacremque reddere potest, quæ quidem facultas in parue pilæ vsu reperitur, vel alio simili. Exercitationis tempus 3. loco matutinum potius est, quam
se-

ſerotinum; confert enim, & deambulationibus vti tum à cæna, tum mane cum. Hipp. libro 1. de diæta. deambulationibus autem vti oportet manè, à cæna vero ſatis eſt exurgere, quo cibi quidem non reſiccentur à deambulationibus poſt cænam, præſertim verò tempore æſtatis. Matutinæ exercitationes, inquit idem Hipp. lib. 2. de diæta corpus attenuãt, & partes circa caput leues, & agiles, ac promptas reddunt, & aluum ſoluunt: Quamquam autem exercitationes ante cibum potius probentur, nihilominus exercitati ne illicò cibos ſumant, dum adhuc calor ex ipſa exercitatione in corpore ſeruatur, ſed poſtea quam perfectè fuerint refrigerati, ſiquidem periculũ eſt extenuationis inquiunt Hipp. com. 3. tex. 2. lib. de diæta ſalubri tex. 10. atque Gal. in com.

Vltimo loco vbi nam exercitatio facienda ſit quærebatur? Et quidem ſi de ambulatione loquamur, quæ præcipua eſt, magiſquè communis, inter alias omnes exercitationes huiuſmodi cum Celſo loco ſuperius cit. non vtique plana commodior eſt; ſiquidem melius aſcenſus quoquè, & deſcẽſus cum quadam mediocritate corpus moueat, niſi ta-

men id perquam ilbecillum est, melior sub dio quam in porticu, melior si caput patitur in sole quam in vmbra, melior in vmbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto est, melior in via recta, quam flexuosa.

Alterum quod ad sanitatem maximè necessarium est, cibum imminuere dicebatur; nimirum, qui parum bibit, ac parum comedit nullus ex his morbus cum Hipp. in lib. de diæta. Sed de hac re alibi dictum fuit.

PROBLEMA XLVIII.

CVr medicamenta & res amaræ, aut fœdi odoris magna ex parte purgare possint? an quoniam amara quæcumque maleque olentia, concoqui nequeunt? qua de causa medicamenta quoque amara sunt atque fœtida: quod enim concoctionem nullam sibi admittunt, mouereque cum amaritudine possunt, hinc medicamenti sor-

tiun-

tiuntur naturam: & si iusto plus data sint periment; quæ autem necant etiam si exigua dentur, hæc non medicamenta, sed toxica esse dicimus. Ne illa quidem medicamenta vocamus, quæ non sui generis qualitate purgare queant: sunt enim pleraque in genere cibi, quæ si largè sumantur facere idem poterunt, ceù Lac, Oleum, Mustum. sed hæc omnia quod minus facilè concoquuntur, idcircò purgant, nec omnes sed aliquos; Sunt enim alijs alia concoctu facilia difficiliaue: quamobrem non eadem medicamento omnibus sunt, sed propria plerisquè comperiuntur. deniquè medicamentum non solum à concoctione immune, sed etiam motus efficiens esse debet, sicut & exercitandi ratio, extrinsecus, aut intrinsecus accedens non nisi per motum alienam excernit materiam.

DISPV-

DISPVTATIO XLIV.

NON videtur differre hoc Problema à quadragesimo tertio superiùs tractato, nisi quoniam in illo vniuersaliter, hic verò particulariter magis purgandi facultatem medicamentis inexistentem Aristoteles examinat. Videlicet cur medicamenta purgent generaliter loquutus fuit in quadragesimotertio, hic verò cur medicamenta amara, & fętida purgent? nam aliqua etiam medicamenta purgantia dantur nullius amaritudinis, nulliusque mali odoris: cuiusmodi agaricum amarum non est, polipodium dulce potius, sicuti Epithimum boni odoris, & amara medicamenta, atque fętida non vt amara, vel fętida purgare, respondet, at quia incoctilia sunt: sicuti superiùs in eodem quadragesimotertio responsum dedit. Sed sic est quod amara, & fętida vt plurimum incoctilia sunt: Ergò medicamenta amara, & fętida, vt plurimum etiam purgant. Quæ enim subdit Aristoteles con-

oncoctionem nullam sibi admittunt, & cũ
maritudine mouere possunt, medicamenti
iaturam adipiscuntur : medicamenti in-
quam purgantis, quodquidem medicamen-
ũ purgans si plus iustò exhibeatur perimit;
quæ autem necant, etiamsi exigua dentur,
iæc non medicamenta, sed toxica sunt: Po-
steà quam rationem cur medicamenta pur-
gent vt plurimum amara, & fętida attulit
Aristoteles, vult etiam assignare differen-
tiam inter medicamentum purgans, & ve-
nenum: atquè optima quidem ratione, po-
terat nimirum dubitare aliquis cur purgan-
tia medicamenta necem inferant, veluti ve-
nena? Vtrum ergò & ipsa venena sint? atquè
venena haud esse concludit, quoniam vene-
na quæ scilicet pharmaca per venas eunt
(ex hoc enim venenum latinè dicitur) etiam
in pauca quantitate exhibita interimunt,
pharmaca verò purgantia nisi in multa
quantitate exhibeantur id minimè agunt.

Sed etiam pharmaca venena esse dubita-
bit aliquis, omnia etenim medicamenta ve-
nena dicit Paulus, si rectè tamen admini-
strentur manus Dei sunt. φαρμακον anceps
nomen est ad venena & remedia, quod in
bo-

bonam, & in malam partem accipitur apud Græcos: Vndè medicamenta, seù pharmaca venena maximè erunt.

Respondetur quod tametsi pharmaca etiam interficere possint, id tamen per se non agunt; at per accidens, & ad finem boni semper à medicis exhibentur: venena verò è contrà per se semper idem agunt, atq; vt plurimum ad finem mali exhibentur: & licet interdum vt medicamenta exhibeantur, siuè medieamenti vicem gerant, per accidens id agunt, non autem per se, & primario iuuant, quemadmodum, & Ausonius etiam Poeta concinit his versibus.

Toxica Zelopito dedit vxor Mœcha marito.
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti læthalia pondera viui
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc si quis faciunt discreta venenum.
Antitodum sumet qui sociata bibet.
Ergò inter se dum noxia pacula certant
Cessit læthalis noxa salutiferæ
Protinus & vacuos alui petiere recessus
Lubrica deiectis qua via nota cibis.

Quam

Quam pia cura Deum, prodest crudelior vxor,
Et cum fata volunt bina venena iuuant:
Et sic pharmaca purgantia à venenis ma-
mè differunt vt superius prætendebatur.
Sed occurrit altera difficultas circà vene-
,quod nimirũ venenũ huiusmodi nomine
·istot. in præsenti intelligat? infinitæ enim
ıt venenorũ species,prçcipuè verò ad duo
pita reducuntur : aut enim venena sunt
ẽtia qualitate manifesta,aut occulta:qua-
ıte agentia manifesta venena, exẽpli gra-
, sunt Crocus, Myrra, Styrax, si verò de
gidis loquamur,Opium, Mandragora, &
ilia: qualitate verò occulta toxicum siue
ppellus & huiuscemodi alia; Et quidem
n venena qualitate manifesta agentia in
lta solum quantitate exhibita interi-
nt ideò de his nequaquam intelligere
stotelem asserendum est, at de illis quæ
ulta vi occidunt, & propriè venena ap-
antur.cum in hoc medicamentũ à vene-
lifferre dicat in probl.nempè quodvene-
n pauca quantitate exhibitũ nocet, me-
mentũ verò non nisi in multa,vt venena
itate manifesta agentia dicta sunt.

Sed

Sed amplius venenum occulta vi agens quidnam eſt? hoc nonnulli à tota ſubſtantia venenũ præcipuè dixerunt. ſed quid eſt hoc agere à tota ſubſtantia? relinquam varias in hoc Authorum ſententias infinitas enarrare: nam aliqui per totam ſubſtantiam formam mixti intellexerunt ex proprio temperamento prodeuntem. Meſues formam aſſerit ſuprà temperamentum, quæ cęlitus proueniat. quemadmodum & in eodem Petrus Aponenſis atquè Fernelius corriuant: Auerroes lib. de Theriaca cap. 2. & lib. 5. Collect. cap. 25. exiſtimauit proportionem, vel proportionatam elementorum mixtionem. alij verò alia dixerunt. Quibus omnibus breuitatis cauſa omiſſis totam ſubſtantiam ego dicerem, nihil aliud ſignificare, niſi id quod verba ſonant, totum videlicet mixtum, quod non ſolum in qualitate, verum etiam in ſubſtantia contrariatur naturæ humanæ, in ſubſtantia inquam, hoc eſt in conditionibus, vel mixti proprietatibus materialibus, vt craſſum, leue, molle, & huiuſmodi alia ſunt: Cum ergò venena nullo modo conueniunt cum viuente, nequè ſcilicet in materialibus, neque in qualitatibus, viuens idem ſtatim

cor-

:orrumpere possunt. Vel alio modo loquen-
lo putrefactio est corruptio mixti substan-
ialis nemini dubium est, & Aristoteles do-
:uit in 4. lib. metheor. nam siccum, & hu-
nidum à quibus mixtum omne naturaliter
:omponitur in putrefactione dicta inter
eipsa segregantur, atquè formæ corruptio
ubstantialis deindè accidit. Vndè si fortè
ortuna putridum aliquod corpus in viuens,
.git, tota quidem substantia corrumpit,
|uemadmodum venena aliqua sunt inter-
icientia, & secundum totam substantiam
orrupta, vel putrefacta substantiæ viuenti,
el mixto contraria. & de his venenis intel-
exit Aristoteles, de venenis scilicet, quę in
auca quantitate etsi exhibeantur, tamen
ccidunt: quoniam tota substantia viuenti-
ius contraria sunt, hoc est spiritibus cordis
ræcipuè, in quibus vita consistit. vndè pro-
tereà hæc eadem venena ab Aristotele hic
ιγατηφορα siuè mortem inferentia dicuntur,
iam, vt plurimum necem afferunt, quod
urgantia medicamenta nisi raro agunt.

Circà quę insuper medicamenta purgan-
a animaduertendum est inquit Aristoteles
aulo inferius, ne illa quidem medicamenta
vo-

vocamus, quæ non sui generis qualitate purgare queant; videlicet de illis medicamentis intelligit hic Aristoteles, quæ propria facultate, vel qualitate purgant, non autem quantitate, vt exempli gratia Lac, Oleum, Mustum, & alia similia sunt, hæc etenim non ob propriam virtutem, vel qualitatem concoqui non possunt, at copiæ ratione: nam medicamentum non solum coctionis immune, sed etiam motus efficiens esse debet, sunt verba postrema in problem. Aristotelis, sicuti in exercitatione accidit, extrinsecus illa quidem, aut intrinsecus accedens, non nisi per motum alienam excernit materiam: nimirum ad probandum Aristoteles, quod medicamenti purgantis nomine illa solum veniunt, quæ propria facultate purgant, non autem quantitate, medicamentum purgans inquit, non ideò solum purgat quod incoctile sit, sed quoniam corpus mouet, sicuti superius in probl.43. adducto asserebatur, sed Lac, Oleum, & similia quantitate purgantia corpus non mouent propria qualitate, siquidem in tantum purgant in quantum naturam quantitate aggrauant, natura verò grauata quærit

dein-

deinde expellere quod sibi noxium est atque eadem medicamenta quantitate mouentia expellendo per accidens deinde expellit etiam excrementa) vndę per accidens purgant, quæ quantitate purgant, nõ autem propria facultate mouent, vt verè, & propriè purgantia medicamenta sunt,

---

PROBLEMA XLIX.

CVr odorata genera tam seminum, quam plantarum mouere vrinam posſint? an quia calida concoctuque facilia sunt: quo in genere ea collocamus, quæ citant vrinam? horum enim uis insita calefaciendi breui extenuatur: odor quoque nullam corpulentiam gerit. nam & ea quæ odorem plenissimè reddunt velut allia caliditate sua mouent vrinã, vel potius vim obtinent tabefaciendi: semina verò odorata calida esse certum est.

DISPVTATIO LV.

ODOR fumosa quædam evaporatio est, & hæc ab igne docet Aristoteles in lib. de sens. & sens. cap. 2. vndè odorata per consequens calida, & sicca asserenda sunt omnia: calida verò, & sicca per Gal. 5. de simpl. med. facult. cap. 13. mouent vrinam, quoniam sua siccitate sanguinem constringunt, quodam modò coagulant, atquè ab eodem serum secernunt: cuius generis, subdẽs ibidem, sunt semen Appij, Petroselini, fęniculi, Dauci, agrioselini, Smirnij, & sanè ipsum quoq. Seseli, & Amni, & Phu, & Meon, & Asaron, & Acoron, à quibus sanguis non extenuatur dumtaxat, sed & funditur, ac secernitur, non secus atque lac quod coagulatur seroso videlicet, & tenui seorsum segregato, crasso verò in sese coeunte: siquidem quo facillimè ad se trahant renes, quod in sanguine aqueum tenueque, ac serosum est, vtraque hæc conferunt, nempè totius primum fusio, deinde segregatio,

quo-

quorum neutrum absque valido calore peragi queat. sed ex his nõ quia odorata concoctu facilia sunt mouent vrinas nunc dicet aliquis, at rationibus supradictis. Præterea cõcoctio perfectio est à naturali, & proprio calore per Aristot. in 4. Metheor. atque concoctio in viuentibus est species elixationis. Elixatio autem est concoctio à calore humido per eundem ibidem. Ergò sicca difficilis concoctionis sunt. ergò etiam odorata tanquam sicca difficilè concoquuntur. vnde, vt inquit Aristoteles odorata eadem non quatenus facilè concoquuntur vrinam mouent. Deniquè odorata, aut benè olentia sunt, vel malè olentia: odor .n. vel bonus, vel malus est: vnde Arist. sect. 13. probl. 44. odoris mali, inquit, causa est excrementi cruditas; de quibus ergò odoratis in præsenti problem. nunc intelligit Aristoteles?

Et sanè respondetur dum odorata concoctu facilia asseruntur, non simpliciter intelligendus est Aristoteles, at respectiuè: sunt nimirum odorata concoctu facilia respectu fætidorum, de quibus in præcedenti actum fuit. Fœtida enim inconcocta sunt per Aristotelem eundem sect. 12. probl. nu. 12. quæ

 an-

autem vrinam mouent non solum calida esse debent, at facilis concoctionis, quæ enim concoqui nequeunt per aluum mouent, non autem per vrinam, vt in præcedenti problemate affirmabatur. Amplius non solum quia calida, & facilis concoctionis sunt odorata vrinam mouent, inquit Aristoteles 12. probl. num. 12. at quià tenuia sunt; vt enim tenuia per aluum non descendunt, sed superiora vasa penetrantia per venas feruntur ad renes deniquè, & vesicam perueniunt.

Sed allia vrinam cient, inquit Aristoteles in præsenti probl. alia tamen nō benè olent, vt legitur in problem. 12. lib. superius allati igitur, & fætida, vel non bene olentia quoque vrinam cient. Allia respondet Aristoteles loco dicto vrinam mouent vi sui caloris, & potius vim resoluendi, & liquefaciendi obtinentia, quamquam non facilè concoquantur: semina verò odorata calida esse certum est subdit vltimo loco in probl. idem Aristoteles. Nō solum verò semina odorata semper calida esse, in contrarium nunc dubitabit aliquis: at nequè plantas, nequè flores insuper, nequè fructus: nam Coriandrum odoratum semen, à nonnullis dicitur frigi-

dum,

dum, ficuti Celf. docuit lib. 2. cap. 27. Diofc. lib. 3. cap. 71. Plin. lib. 20. cap. 20. licet Hip. in lib. de diæta, atquè Gal. lib. fimpl. 7. lib. de attenuante victus ratione, & alibi calidum dicant. Fumus terræ folia Mirti, & Nenufaris, licet odorata, nihilominus in primo gradu frigida funt, flores etiam, Rofarum, Violarum, Anemone, Nympheę, Balauftiæ, & fimiles, quamquam odorati, frigidi in primo, fecundo, & tertio gradu alij dicuntur. Deniquè fructus odorati, Citri, Cotonea, perfica frigida funt omnia. Ergò vt dicebatur non omnia odorata, & femina præcipuè, funt femper vrinam cientia.

Refpondetur veriffimum effe, Semina, Folia, Flores, Fructus, & his fimilia odorata interdum frigida effe temperamenti prædominio: at nihilominus, vt odorata funt calida funt etiam, veluti Ariftoteles in probl. dixit, odor enim fumofa quædam exhalatio eft vt in princ. dicebatut: vndè fecundum partem illam, fecundum quam res odoriferæ funt, fumofæ, & calidæ funt, non autem frigidæ: nam frigidi eft condenfare, conftringere, euaporationem fumofæ exhalationis odoriferæ impedire. Vndè Ariftote-

les in ijsdem probl. quærens rationem cur res male olidæ grauius oleant cum calent, quam cum frigent, vt flātibus austris, itaque pluuiæ signum esse solet; quia respondet odoris natura est vapor, & effluxus corporis, cum verò calidum commoueat, amplificat enim, frigus contrahat, & inferat torporem, fit vt à calore vapor ille excitetur, qui olim à frigore affectus immobilis erat. Et hinc est quod corpora nonnulla nisi attrita sint non odorant, quoniam scilicet ex attritione dicta calefiunt, attenuātur, atque exhalationes fumosæ, & odoriferæ eleuantur. In odore, inquit Aponensis aliquid est quod vim formæ substineat, quod est obiectum sensus, aliud autem, quod est materia nempè exhalatio cui species odoris est affixa, quæ per aerem fertur, & cum spiritu ducitur, & quæ sequuntur alia. Vndè odor res calida est subiectiuè, atque odorata, vt odorata semper calida sunt, quemadmodum Aristoteles in probl. ad finem ait.

DISPVTATIO LVI.

FVMOSAM exhalationem esse odorem dictum fuit superius cum Aristotele in lib. de sensu, & sensato cap. 2. ex quibus Aristotelis sese offert quæstio diluenda curiosa, & non inutilis: nam si odor fumosa quædam exhalatio est, vtrum ergò reale quid sit an verò intentionale? Vtrum scilicet cdores realiter, an verò intentionaliter à re odorata ad potentiam sensitiuam deferantur. Et quidem realiter proficisci videtur primo colligi ex Aristotele in probl. superius allato, vbi odoris naturam vaporem esse asserit, atque effluxum corporis à re olente. Sed vapor est quid reale atque corporeum; ergò odores reale quid sunt atquè realiter etiam non verò intentionaliter siuè spiritualiter mouentur.

Deindè quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, axioma est tam Philosophicum, quam Medicum, sed odores per aerem recipiuntur, vel aquam, aqua autem

vel aer sunt quid reale. Igitur etiam odores reale quid sunt, atque à sensu realiter recipiuntur.

Tertio, perceptio odoris à vento impeditur, quod fieri non posset nisi quid corporeum atquè reale odor esset.

Quarto, odoris motus in tempore fit. ergo reale quid est, nam si esset intentionale. non in tempore, sed in instanti moueretur, sicuti alia spiritualia, vel intentionalia agunt.

Quinto, vt experientia constat multa corpora adorabilia non essent nisi attrita fierent, atquè ex eadem attritione odoratæ exhalationes eleuarentur, vnde Aristoteles superius, odor fumosa exhalatio affirmabat. igitur reale & corporeum quid est odor, non autem alio modo.

Ex altera verò parte si odor cum materia proficisceretur, atque realiter vt superius dicebatur, non ad plures, diuersasque partes moueretur, sed ad vnam tantummodò, nam dum mouetur odor, exempli gratia, vel mouetur cum corpore simplici, vel mixto, si cum simplici, ergò ad illam solummodò partem mouebitur, ad quam corpus simplex

plex motum habet: si cum mixto ergo ad illam quoque partem, ad quam elementum prædominans inclinat: ac tamen vt dicebatur varij simul sunt odorum motus, atque vnus, idemque odor per varias diuersasque partes sese transfert, quia nimirum intentionale quid est non autem reale.

Prætereà referunt historiæ Vultures odore tractas fuisse in Græciam, vbi prælia, & cadauera multa erant per spatium quingenta millium; atque realiter tot millia proficisci odores, vel exhalationes deferri videtur impossibile. Itaquè non realiter, sed intentionaliter deferũtur, quemadmodũ coloris species sunt, soni, vel aliorum similiũ.

Quidquid tamen de his sit, partim realiter, partim verò intentionaliter odores feruntur iuxtà communem Philosophorum sententiam. Primò scilicet fumosa exhalatio corporalis ab obiecto odorato eleuatur, quæ donec potest realiter procedit: deficiente verò corporeitate species odoris intentionaliter deindè proficiscitur, & quemadmodum aliæ species à sensu odoratus intentionaliter percipitur, inquiunt plurimi Philosophorum.

Non

Non obstant autem quæ superius in contrarium adducebantur: nam quoad Aristotelem in probl. odor vapor quidam est, non negatur ab ijsdem, proceditque vt vapor in principio, deindè verò intentionaliter siuè repræsentatiuè. Secundo quidquid recipitur per modum recipientis recipitur esto. Sed aer vel aqua sunt quid corporale, etiam conceditur. ergò odor est semper quid corporale, negatur: nam etiam colores per aquam, & aerem à sensu visus recipiuntur, etiam soni, ac tamen huiusmodi intentionaliter semper proficiscuntur, vt de odore etiam aliquando asserendum est. Perceptio odoris tertio loco impeditur à ventis, conceditur. Ergò nunquam odor est intentionalis negatur; nam impeditur donec, & quousquè in vapore, vel fumosa exhalatione subiectatur, consumpta verò exhalatione dicta repræsentatiuè deindè mouetur, nequè à ventis amplius impediri potest. Quarto odoris motus fit in tempore, quoniam scilicet, respondetur, realiter primo mouetur, deindè verò intentionaliter. Et hæc etiam ratio est cur odorata non sensiantur, donec attrita fuerint: nimirum fu-

mosa

mosa illa exhalatio in qua odor subiectatur necessè est primò moueatur, quæ postmodũ consumpta, odor idem intentionaliter procedit. Et hæc sunt quæ communiter de motu odoris apud Philosophos reperiuntur: quamquam vt liberè fatear: sententiam meam persuadere mihi non possum quod odores intentionaliter moueantur: fabulosum enim primo recipio quod de Vulturibus apud Historicos legitur per quingenta scilicet milliaria fuisse tracta ab odore cadauerum mortuorum: aut quatenus id fuerit quoniã, dicerem, illuc è Græcia aliquo vento mediante fumosa exhalatio odoris translata fuit. Et licet mixtũ quoddã sit exhalatio in qua odor subiectatur, nihilominus in varias partes defertur, quoniam vt mixtum diuersis cõponitur ab elementis, licet principaliter ad locum elementi in ea prædominantis magis magisq. moueatur. Vndè odor reale quid est, atquè corporeum, vtquè fumosa exhalatio est ad organum olfactus defertur, licet postremò in sensu non tanquam corporeus subiectetur, sed vt spiritualis atquè intentionalis, quemadmodum omnes alij sensus idem agunt, sua obiecta

non

non materialiter in se recipientes, at species solummodò spirituales eorundem, sicuti Aristoteles in 2. de anima pluribus rationibus idem docuit. & hæc obiter de odore dicta sint.

PROBLEMA L.

CVr impuris tetrisquè vlceribus, siccis, acribus, acerbisquè medicamentis: puris verò & sanescentibus humida tantum imponantur? An quod impuris detrahendum aliquid est, quod nonnisi humor est alienus qui adimi debet? genus autem medicamenti quod mordax, acre, acerbumq; est, id efficere potest, & siccum magis quam humidum. at quæ pura sunt cicatricem tantum desiderant.

DI-

DISPVTATIO LVII.

VLCVS siuè ἕλκος græcè, solutio continui est in parte carnosa cum putrefactione, & saniositate docuit Auicen. 4. 4. tract. 3. cap. 1. atquè ex apostematibus accidit, à pustula, & à vulnere vt plurimum malè curato. Vndè cum Aristoteles hic vlcera communi nomine dicat, de vlcere ex qualibet causa exorto intelligere dicendum est. Vlceris insuper plures differentiæ sunt, teste Aliabate serm. 7. lib. 1. de dispositione regulari: præcipuè verò eædem differentiæ à causis, vel accidentibus sumuntur: ex accidentibus inquam, nam interdum vlcera dolorifica sunt, interdum cum carne superflua, nonnumquam sordida & tetra. De his ergò sordidis atquè tetris vlceribus loquendo in præsenti Aristoteles, cur inquit in his, siccis, acribus, acerbisq; medicamentis vtendum est? puris verò & sanescentibus humida tantum imponantur? Et sicca acria, & acerba medicamenta imponen-

ponenda esse respondet, quoniam in impuris vlceribus aliquid detrahendum est, quod non nisi humor est alienus qui adimi debet: nascuntur nimirum sordes multæ in vlceribus cum ad eadem fluxio humiditatum repit: nam humiditas vt multa non potest in vlcere concoqui, & per consequens, neque ab eodem vlcere perfectè separari, & à natura expelli: vt enim inquit Auic. 1. 1. doct. 6. cap. 3. nutritiua facultas varias exercet rationes: in ijs enim quæ superflua sunt primò eadem in nutrimentum transmutare conatur si possibile fuerit, sin minus eadem facili expulsioni præparat, idquè mediante coctione agit: concoquendo videlicet natura, primò intendit nutritionem, deindè verò expulsionem: vndè partim concocta, partim verò inconcocta humiditas multa in vlcere detinetur, & sic per consequens vlcera difficilius deindè sanantur, cum semper secum habeant à quo magis, magisque putrefiant: quemadmodũ inconcoctæ sordes sunt siuè putredinosæ in ijsdem stabulantes (nam concoctio puris per Galen. 2. aph. 47. & alios, est actio mixta, scilicet medium quid inter putredinem, & concoctio-

nem

nem, secundum partem enim caloris naturalis est concoctio, secundum partem verò caloris præternaturalis est putrefactio, nam dum calor naturalis viget, humiditas in vlcere à calore obtinetur,& concoctio fit,siuè puris generatio perfecta : cum vero præter naturalis calor viget,è contrà humiditas eadem à calore non obtinetur: vndè putrefactio sequitur, siue opposita corruptio secundum naturam,vt verbis Aristotelis vtar in 4. metheor. Generant enim, inquit Aristoteles 4.dicto Metheor.cap.2.calidum,& frigidum dominantia materiæ, cum autem non dominantur secundum partem fit inquinatio, & inconcoctio. Itaquè non concoctis perfectè humiditatibus in vlceribus existentibus, vlcera eadem impura, sordibus plena,& tetra euadunt, atque in his sicca primum debent esse medicamenta, nam vt sicca affluxum impedient humiditatum ad partem affectam; vt verò acerba,& acria sordes dictas vel excrementa in vlceribus stabulantia,incident,corrodent,consument,tollent deniq. Et sic ablatis excrementis à dictis vlceribus, ijsdemquè puris, & absterfis euasis facilius deindè carnis augmentatio, incarnatio, à

chi-

chirurgijs appellata, eiusdem consolidatio, vnio, & cicatrizatio tandem fient.

Puris verò, & sanescentibus humida medicamenta imponenda esse subdit Aristoteles deinde: atq. id nulla quidem alia ratione nisi quoniam ex his vlceribus nihil adhimendum est, sed tantummodo cicatrizatio requiritur: quæ quidem cicatrizatio humidis solummodò medicamentis fieri potest. Circà quæ verba Aristotelis animaduertendum est per humida medicamenta non intelligere simpliciter humida, at respectiuè, nam alias vlcus, vt vlcus est exiccatione indiget semper. in puris vult dicere Aristoteles, & sanescentibus vlceribus, non medicamẽta in forma sicca exhibenda sunt, quamquam sicca potentia requirantur, sed medicamenta exiccantia esse debent, atquè in forma humida, cum nihil adimi ex ijsdem debeat.

PRO-

PROBLEMA LI.

CUr morbis, qui contrahuntur à pituita libido immodica prosit? An quod semen genitale èxcrementi cuiusdam detractio est? ideò naturam præsefert pituitæ, quod igitur multum pituitæ concubitus detrahit iuuare idcircò potest.

DISPVTATIO LVIII.

DICTIONEM λαγνία quam Gaza immodicam libidinem interpretatus est, ego hic cum doctissimis viris Hieronymo Mercuriali lib. 2. variarum lect. c. 15. Ludouico Septalio, & Guastauino in commentarijs, simpliciter venerem siuè coitum interpretarer, cum præsens probl. Aristoteles, vt de alijs etiam nõnullis sæpe diximus,

mutuatum habeat ex Hipp. apud quem dictio dicta λαγνεία absolutè prolata nunquam immoderatam venerē significauit, vt Phoesius in sua æconomia Hippocratica diligentissimè adnotat. Coitum verò morbis à pituita conferre docuit antè Aristotelem Hip. pluribus in locis, præcipuè verò *6*. epid. sect. 5. tex. 23. vbi rationem quærens Gal. in com. necnon etiam tex. 28. inferius, quia venus exiccat, inquit, quam eandem rationē ferè Aristoteles etiam in probl. affert: an inquiens, quod semen genitale excrementi cuiusdam detractio est, ideò naturam presefert pituitæ. Quod igitur multum pituitæ concubitus detrahit iuuare idcircò potest. seminis emissio siccitatem parit cum eodem Aristotele in lib. de long. & breuit. vitæ. vnde Alex. Trall. lib. 1. cap. 2. multam venerem ait concedere non oportet illis, qui capillorum defluuio laborant ex siccitate. Thimocharem deniquè refert Hipp. 7. Epid. ad nares destillatione affectū, cui cum venere vsus esset resiccata sunt omnia: atque Satyrus in Thaso cognomēto Grypalopex cū annorum 25. esset sæpè per somnum semen effudit, & interdiu quoque frequenter ipsi prodibat,

cum

cum autem ad annum 30. peruenisset tabidus factus est, inquit idẽ Hip.6. epid. sect.8.

Ex altera vero parte coitus attenuat, humectat, & calefacit, legitur in eodem Hipp. lib.2. de diæta. ergò non exiccat coitus neq. etiam morbis à pituita confert, vt dicebatur. Quibusdam vbi venere vtuntur, habemus ex Hipp.6. dicto epid. sect.3. tex.12. vẽter inflatur velut Damagoræ, quibusdã vero in hoc strepitus: Archesilao etiam intumescebat, quæ quidem omnia effectus siccitatis nequaquam affirmari possunt at humiditatis potius, cum flatus à quibus intumescentiæ, & strepitus ventris inferioris materialiter ex humido eleuentur, quod quidem humidum veneris opus est: nam venus refrigerare valet nemini dubium est: & Gal. docuit 6. epid. sect.5. tex.26. præcipuè verò cũ actu venereo partes naturales refrigerantur primæ, & secundæ coctioni dicatæ: quæ autẽ refrigerant inconcoctionem, & cruditatem faciunt, necnon etiam humidi quantitatem. Marsilius Cagnatus Doctor meus præstantissimus eximij semper, & acutissimi ingenij, hoc probl. non quidem de omni coitu intelligendum esse disputat lib.1. variarũ obser-

uat:c.1.at de coitu,qui cũ pubertate incipit: nam ex Hip.3.aph.28.plurimi pituitæ morbi alij die 4.indicantur alij mensẽ 7. alij anno 7.alij pubertate,qui verò,aut pubertate, aut in fęmina menstruis erumpentibus non terminãtur,diurturni esse solẽt.Celsus lib.2. c.1.dictionẽ pubertate primis coitibus interpretatur,sicut,& in fęmina primis mensibus;vnde nõ coitus solũ,at coitus cũ pubertate quod tẽpus calidũ,& siccum est,pituitę morbis prodest cũ Mars.cagnato. sed esto ꝙ Cagnatus ait: vtrũ etiã in omni tẽpore, coitus idẽ pituitæ morbis aptus sit? Et quidem coitus,vt coitus est,per se sẽper exiccat:nam in coitu emittitur humidũ, quia semen euacuatur,& expellitur,quod natura sua pituitosũ est:vnde Hip.lib.4. de morb.ex humido inquit,quod in corpore reperitur non minima neq. debilissima partio in semen procedit: vt vero exiccans coitus idẽ pituitæ morbis proficiet.per accidẽs verò cruditatũ generatione siuè inconcoctione etiã humectat. & per cõsequẽs morbis à pituita neq. etiam sẽper iuuatiuus.Pituitæ igitur morbis cõfert venus cũ Hip. & Arist. at non omnibus cum Arist.sũpto 4.probl.17.sed in ijs tãtũmodo,

qui

qui viribus cõstant: debilioribus nequaquã Gal. in com. 6. epid. sect. 5. tex. 23. ait, neq. insuper in febre à pituita, vel acuto morbo laborantibus, nam Hip. lib. de internis affect. in 4. renũ morbo, qui fit à pituita ægrotũ admonet, vt venere nõ vtatur: nimirũ, vt dicebatur nõ omnibus, sed aliquibus cõfert coitus pituitæ morbis. Confert amplius moderatus, qui naturalis quædam euacuatio est quemadmodũ aliorũ excrementorũ cũ Gal. 6. epid. com. 3. tex. 17. nẽpè excremẽti humidi, & vtilis cũ cõmuni medicorũ schola: nam alias immoderatus cũ Celso lib. 1. c. 1. resoluit, vires elidit cũ Gal. 3. in 3. epid. 87. nimis refrigerat, & per cõsequens pituituosi morbi generatiuus potius erit quam curatiuus.

Non obstant autem quæ superius ex aduerso dicebantur, nam coitus attenuat, humectat, calefacit cũ Hipp. lib. 2. de diæta, calefacit quidẽ propter laborẽ, & excretionẽ frigiditatis quia semen frigidum natura sua est subdit Hip. idem deinde. Ergò de immoderato coitu hic intellexit: nam alias coitus refrigerando prodest ex Gal. 6. epid. sect. 5. tex. d. 26. aut cũ eod. Gal. tex. 23. coitus robustorum corpus calefacit, imbeccillum cõ-

festim quidē calefacit, sed posteà mirum in modū refrigerat, aut deniq. calefacit actus ipse coeūdi, qui cū motu fit, licet postea corpus refrigeretur vt exp. cōstat. humectat aūt propter colliquationis reliquias in corpore præ labore, inquit ibid. Hip. 2. de diȩta. igitur non per se, sed per accedens humectat, attenuat verò, & exiccat per se propter euacuationem quam agit seminis ex eod. loco Hip. Non obstant etiā exēpla Damagoræ, & Archesilai, nam ventres intumescebant iisdem ex concubitu, vel strepitus eorundē fiebant, quia sic disposita erat corpora ipsorū, casus particulares sunt non derogant vniuersali: his etenim fortasse partes naturales temperaturæ frigidæ erant, ideoq. à venere quali-bet offendebantur. Et denq. refrigerat venus in contrarium afferebatur, vndè inconcoctio, & humectatio insuper ab eadem. refrigerat venus immoderata, & non turgens respōdetur, moderata verò atq. turgens negatur quod humidi sit causatiua: ab hac etenim eadem moderata cōcoctio alimenti naturalis fit, bona nutritio, caloris naturalis, & corporis, virium deniq. corroboratio, & auctio, & multa denique alia ex moderata ve-

ne-

nere subsequuntur cum Paulo lib. 1. cap. 35. & alijs.

PROBLEMA LII.

VTrum ergo inter initia mali cibum afferre melius sit an post? an inter initia ne iam penitus debilitato febris occurset? igitur, vel extenuādum protinus est, vel ita alendum solutionibus primo recreandum: hæ nanque mitiores leniores, colliquabilioresque sunt, & alimentum hinc capere infirmum corpus expeditius potest; nihil enim cibum in ventriculo resolui perferuereque ante oportet: quod non nisi labore cubantis fieri potest.

DISPVTATIO LIX.

ALIBI τροφὴν dictionem alimentũ ſignificare interpretatus ſum, ſicuti, & in præſenti eodem modo legendum eſt; problem. nempè vtrum alimẽtum, quęrit Ariſtoteles, inter initia morbi offerre melius ſit an poſt. An poſt videlicet principium & in augmento, vel ſtatu magis cibandi ſint ægri? intelligendo ſub hoc nomine alimenti omnes eiuſdẽ ſpecies, cibũ, ſorbitionẽ, & potionẽ, vt melius de hac re in Theoria febriũ dictum fuit ſuper aph. Hipp. & alibi: atque melius eſſe reſpondet Ariſtoteles initio mali offerre alimentum quam inedia vti. Circa quam reſponſionem occaſio dubitandi ſtatim ſeſe offert: nam initio morbi ſemper aliqua adeſt in ægris repletio, igitur eodem in tempore alimentum nequaquam offerendum eſt. Amplius initio paroxiſmi Hipp. 1. aphor. 11. vetat alimenti exhibitionem, in acceſſionibus inquiens abſtinere oportet nam cibum dare nocuum eſt. ergo ſi initio

par-

particularis accessionis non est alimentum offerendum, nequè etiam in initio vniuersalis. Circà alimenti oblationem in ordine ad tempora febrium Corn. Celsus lib. 3. cap. 5. ita etiam locutus est, cum febris nimirum instet, incipiat, augeaturquè, consistat, decidat, deindè in decessione consistat aut finiatur, scire licet optimum cibo tempus esse finita febre, deindè dum decessio eius consistit. Tertio si necesse est, quandocumquè decidit, cętera omnia periculosa, si tamen propter infirmitatem necessitas vrget, satius est consistente iam incremento febris aliquid offerre, quam increscente, satius esse instante, quam incipiente. ergò initio febrium nequaquam alimentum offerendum est: dico initio febrium, nam & de ijsdem in præsenti loquitur præcipuè Aristoteles, vt in sequentibus manifestè patebit. Tertio tunc offerendum est magis de alimento, quando corpus magis quoquè indiget, sed in principio morbi non magis indiget quam in statu. ergò nequè in principio morbi plus cibi siue alimenti offerendum est.

Quidquid tamen de his sit dubitationibus,

bus, communis sententia est, & vsus ipse docet, in principijs morborum melius esse alimentum offerre quam postea: idquè pluribus rationibus etiam probari potest, præcipuè verò quia febris acuta, & fortis penitus debilitato in statu non superueniet, inquit Aristoteles in probl. ideò vires circà initia potissimum cum alimento conseruandæ sunt. Secundo citca initia, & fines omnia imbecilliora, circà statum verò fortiora, docet Hipp. 2. aph. 30. igitur cum imbecilliora sympthomata, & morbi etiam imbecilliores initio sint, alimenta vtique offerri debent: in statu vero nequaquam cum eodem in tempore natura cum morbo bella gerat, & sarcina alimenti in statu grauari non debet.

Ad argumenta verò in contrarium adducta, initio morbi semper aliqua adest in ægris repletio, esto, licet non semper sed vt plurimum id affirmari possit. igitur alimentum initio morborum offerri non debet, negatur consequentia: non etenim ea copia subdit Aristoteles in probl. qua ante morbum, vel sanitatis tempore exhibebatur; exhiberi debet; sorbitionibus videlicet primum

mum recreandi sunt ægri, hæ namque mitiores, leniores, colliquabilioresque sunt, quod alimenti genus infirmum corpus assumere expeditius potest nihil enim cibum in ventriculo resolui perferuereq; ante oportet, quod nonnisi cubantis labore fieri potest.

Ad secundum initio paroxismi vetat Hipp. alimenti exhibitionem: ergò etiam initio morbi vniuersali prohibenda est, negatur: nam alia ratio est paroxismi particularis, alia verò vniuersalis principij morbi: hoc etenim principium vniuersale constat latitudine, quæ alimenti etiam capit exhibitionem, paroxismus verò particularis cum citò transeat sua tempora, alimenti exhibitionem non permittit. Tunc magis offerendum est alimentum, quandò corpus indiget restauratione, erat vltimum argumentum. sed nõ magis hoc indiget in principio quam in statu, vel augumento. ergò etiam nequè magis in principio morbi quam in alio tempore alendi sunt ægri. Negatur minor pars argumenti, plus enim caloris innati, atquè naturalis habent ægri in principio morbi, quam in statu & augumento, qui autem

plus

plus habent caloris innati, & naturalis, pluri etiam alimento indigent cum Hipp. 1. aph. qui verò è contrà minus, minori alimento nutriendi sunt, nam à multis extinguuntur cum eodem Hipp. ergò initio morborum alimenta offerre maximè licet, vt Aristoteles in probl. docet contrà diatritarios, aduersus quos Gal. pluribus in locis inuexit: Sed animaduertendum est non de omnibus morbis, siue febribus hic intelligi ex Aristotele quando initio morbi alimenta offerre docet, at de illis morbis quorum principium latitudinem habet alimenti capacem: nam de morbis acutis exempli gratia hic non intelligit, qui cum Hipp. 1. aph. 7. statim exremos habent labores, & extremè tenuissimò victu vtendum est: sed de morbis non acutis intelligitur probl. in quibus pleniorem victum contingit adhibere, atque tantum alimenti indulgendum est, quantò morbus extremis est mollior, cum Hipp. loco mox allegato.

PRO-

PROBLEMA LIII.

CVr intuendum vrinam an coacta sit nec ne profluuio intercepto mingendi potius perpetuo? an quod signum concoctionis vrina exhibet rufa, quod quidem melius intercepto profluuio dedeprehenditur? Genus enim quodque humoris suum colorem plenius ostendit cum exiguum est, quam cum multũ, nam in multo figuræ, in exiguo colores conspectiores sensui obuiant, quod etiam in rore, sanguine, lachrymaq́; palpebris adhærente patescet, vrina igitur si continuè dimittatur copiosior redundabit: sin intercipiatur index sui coloris certior erit, quod si iam ex concoctione colorem traxit eiusmodi talis profestò apparere etiam amplius potest cum lumen se refringat, & tanquam

quam speculum fiat propter intermissionem profluuij.

DISPVTATIO LX.

VRINA οὔρησις græcè dicitur, ex verbo itẽ græco οὐρέω quod mingo siuè vrinam facio significat. hæc excrementum est secundæ concoctionis nemini dubium est, quod enim aqueum, & serosum in vena caua cum sanguine superfluũ reperitur, ab emulgentibus venis trahitur, hinc ad renes, ad vreteres, & in vessicam postremò delabitur, atquè ibidem propriè vrina appellatur: hanc verò vrinam cum minxerint ægri maximoperè obseruant medici, & præsertim Hipp. in Epid. circà hoc excrementum diligentissimus fuit; nimirum & præsidia, atq. præsagia infinita ab ijsdem ducantur, vt in nostris prognosticis febrium magis diffusè declarauimus: præcipuè autem circà eandem vrinam obseruatur an eadem cocta sit necnè, cocta enim humorum, & morbi concoctionem ostendit, in-

con-

concocta verò eorundem humorum & morbi inconcoctionem siuè cruditatem significat. Sed si cocta sit vrina cognoscitur magis in pauca quantitate, quam in multa, ideò diuidenda est mictio, & partitis vicibus facienda, non autem vnica vice, & continenter, vt inquit textus: hoc est diuisim colligenda est vrina, non autem tota simul & in multa quantitate: quærit ergò huius rei rationem Aristoteles. Et an inquit quod signũ coctionis vrina exhibet rufa quod quidem melius intercepto profluuio deprehenditur: nimirum color vrinæ coctæ ruffus est, hic autem color melius deprehenditur diuisim collecta, quam simul, nam simul collecta est multa, diuisim est pauca, colores verò melius deprehenduntur in pauca vrina, quam in multa: genus enim quodquè humoris subdit Aristoteles suum colorem plenius ostendit cum exiguum est, quam cum multum; nam in multo figuræ, in exiguo colores conspectiores sensui obuiant: quod etiam in rore sanguine, lacrymaquè palpebris adhęrente patescet. Vrina igitur si continuè dimittatur copiosior redundabit, sin intercipiatur index sui coloris certior erit. Quod si

iam

iam ex concoctione colorem traxit eiusmodi, talis profectò apparere etiam amplius potest, cum lumen se refringat, & tanquam speculum fiat propter intermissionem profluuij. Hæc sunt quæ Aristoteles habet in præsenti probl. quæ omnia vt melius intelligantur, necesse est vt partes problematis singulatim examinentur.

Primò igitur petendo signa ex vrinis, supponit Aristoteles, melius esse considerare vrinam diuisim collectam quam totam simul & in multa quantitate: nam coctio est perfectio à naturali & proprio calore ex oppositis passiuis cum Aristotele 4. metheor. cap. 3. alteratio ad esse perfectius, inquit Gal. 8. de comp. med. secundum loca cap. de hepatis affect. quæ non quiescit donec illud quod concoquitur in similitudinem partis concoquentis transmutatum sit. Vnde finis concoctionis est assimilatio, cum etenim alimentum per concoctionem assimilatum fuerit vnio eiusdem sequitur cum viuentis substantia, quæ nutritio appellatur; sed sic est quod vrina nequaquam similis est parti concoquenti neque potest nutrire, vel in substantiam viuentis transmutari.

tari. ergo vrina cocta maledicitur ex Aristotele in præsenti probl.

Respondetur vtiquè concoctionem propriè dici de ea re, quæ nutrit, famula est enim concotrix facultatis nutritiuæ: sed tamen etiam excrementa, quæ fuere iam segregata in concoctione à proprio alimento, aliquo modo concocta dicuntur à Philosophis, & præcipuè ab Aristotele 4. Metheor. cap. 3. finis inquiens his quidem natura est, natura autem quam dicimus, vt formam & substantiam. His autem in subiectã quandam formam finis est concoctionis, cum tale fiat, & tantum humidum, aut assetur, aut elixetur, aut putrefiat, aut alio quodam modo calefiat, tunc enim vtile est, & concoctũ esse dicimus sicuti mustum, & quæ in tuberculis constant cum factum fuerit pus, & lacryma, cum facta fuerit sordes, similiter autem, & alia. videlicet vult dicere Aristoteles, concoctio est perfectio, sed duplex est perfectio, alia in substantia, alia verò in qualitate, vel perfectionem scilicet substantificam, vel qualitatiuam exhibet concoctio; exhibet perfectionem substantificam concoctio quandò finis eiusdem est natura, aut

quæ concoquuntur nouam aliam naturam acquirunt, vel nouam ſubſtantiam, & eſſentiam, veluti exempli gratia dum coquitur ſanguis euadit caro, & ſanguis concoctione mediante naturam carnis adipiſcitur. Interdum verò finis concoctionis non eſt ſubſtantia, ſed noua qualitas, vel quantitas; cũ nimirum quæ concoquuntur perficiuntur: ſed perfectio quæ ab ijſdem acquiritur non eſt ſubſtantifica, at qualitatis vel nouæ quãtitatis, cuiuſmodi inquit Ariſtoteles ibidem muſtum eſt, & quæ in tuberculis, conſtant cũ factum fuerit pus, & lacrymæ, cum facta fuerit ſordes: Muſtum enim perficitur, & euadit vinum, huiuſmodi autem perfectio quam acquirit muſtum euadendo vinum dicitur concoctio, ſed concoctio non ad nouam ſubſtantiam, vel naturam, at qualitatem perfectiorem, vinum etenim eſt eadem ſubſtantia, quæ erat muſtum, ſed ſubſtantia cum qualitatibus perfectis: ſicuti & pus eſt eadem ſubſtantia, & eadem natura, quæ erat antequam pus in abſceſſum diceretur, at concocta nihilominus dicitur materia abſceſſus, atque pus appellatur cum qualitates acquiſierit viuenti aliquo modo vtiles:

les: nimirum dispositionem ad facilem euacuationem, remissionem actiuitatis præternaturalis obedientiam naturæ, & similia; sicuti denique & lacryma, quæ excrementum est vltimæ coctionis, & cum fuerit à natura iam inepta nutritioni iudicata propriè concoqui ampliùs non potest: at concocta lacryma nihilominus ex Aristotele interdũ appellatur cum scilicet lema facta est. lacrymæ inquam est etiam concoctio, sed concoctio, vt suprà, non ad nouam substantiã, at ad nouam quantitatem: eadem enim est substantia lacrymæ atque lemæ, & lema est ipsa met lacryma exiccata, cumquè lacryma euasit lema concocta dicitur, quoniam quantitatem perfectiorem adepta est, atque nouas dispositiones cum quibus aliquò modo viuenti vtilis est; vtilis est enim lema post lacrymã quoniam non adeò quanta est, neque viuenti vt lacryma noxia. Et sic excrementa etiam concoquuntur cum scilicet vtilia redduntur à calore naturali, siue minus noxia, atque ad perfectiorem qualitatem, vel quantitatem transmutantur. hanc concoctionem Gal. 2. acut. com. 44. appellat imperfectam, & impropriam, sicuti primam

perfectam, & propriam. Vndè vrinæ per benè concoctæ hic ex Aristotele in probl. dicuntur hoc est concoctæ, vel transmutatæ ad perfectiorem qualitatem : non tamen dum concoctas appellat hic vrinas Aristoteles de coctione perfecta intelligit, siuè ad substantiam, & nouam essentiam : & vrina eadem concocta est subdit Aristoteles quandò perfectiorem calorem nempè ruffum adepta fuerit. Sed vtrum color ruffus vrinæ concoctionem significet ? Vtrum ruffa sit semper concocta vrina ? Vrinæ concoctionem non solum color, at multa alia ostendunt, verum si ex colore eandem petamus solum, vt Aristoteles in præsenti problem. docet, color ruffus est cum vrina concocta semper; docet primum id experientia, docent secundo medicinæ Authores ferè omnes & præsertim Cornel. Cels. lib. 1. cap. 2. scire licet inquiens integrum corpus esse cũ quotidiè mane vrina alba, deindè verò ruffa est: illud enim concoquere, hoc verò cõcoxisse significat. quam sententiam imitatus est Gal. 2. de sanitate tuenda cap. 2. vbi de opportuno exercitationis tempore verba facit, sanè inquiens huius temporis nota

color

color est vrinæ: quæ enim aquæ speciemr efert crudum adhuc in venis esse indicat succum eum, qui à ventriculo submittitur;quæ verò russa biliosaquè est,iamdudum coctum esse huiusmodi succum, & quæ sequuntur alia: idem confirmat Gal.lib.1. de crisibus cap.12.4.de vsu part. c.6. Paulus etiam lib. 2. cap.4. Vrina optima docet sanis similis esse debet, nempè quæ subrussa simul, & subflaua est, & quæ crassitiem moderatam habet. Vrina igitur naturalis russa est & color in vrinis cõcoctionem demonstrans russus est cum Aristotele. quia verò color russus cum eodem Aristotele ibidem in probl. magis etiam deprehenditur in pauca vrina quam in multa: proptereà concoctionem ex colore perpendere volentes in modica quantitate vrinam eandem assumere debemus non autem in multa.

Sed in maiori quanto maior est virtus commune est axioma Philosophorum: plus luminis exhibet luminatum multum quam paucum. igitur etiam & plus coloris repræsentabit coloratum multum quam paucum. id experientia constat in omnibus coloratis, multum nigrum videtur magis nigrũ quam

paucum; ità igitur & de vrina asserendum est, magis russa apparebit vrina multa quam pauca. Ergò malè loquitur Aristoteles cum colorem russum in vrina pauca magis repreſentari ait, quam in multa.

Respondetur illud magis repreſentari nō intelligi intensiuè, sed distinctiuè, magis nimirum distincti colores in pauco deprehenduntur quam in multo, & color russus in vrina pauca distinctus magis apparet quam in multa, aut, & fortasse melius, illud magis non intelligitur respectu obiecti colorati, vel russæ vrinæ, at respectu recipientis; magis videlicet cognoscit facultas visiua colorem in vrina pauca quam in multa, sicuti etiam de aqua apparet, cuius color albus magis percipitur cum pauca est, quam cum multa. Ratio autem est secundum Aristotelem in probl. quoniam in multo figuræ, in exiguo colores magis deprehenduntur: Cur verò in exiguo colores magis deprehenduntur? Aristoteles idem 3. metheor. ad initium docet his verbis; Quod igitur visus reflectitur sicut & ab aqua, sic & ab aere & omnibus habentibus superficiem planam ex ijs quæ circa visum ostensa sunt oportet accipere

fidem

fidem & propter quid speculorum in quibusdam quidem non solum colores, sed etiam figuræ apparent in quibusdam autem colores solum. Talia autem sunt speculorũ quæcumquè pauca sunt & nullam sensibilem habent diuisionem: in his enim impossibile est figuram apparere, quandòquidem videbitur esse diuisibilis; omnis enim figura simul videtur figura esse, & diuisionem habere omniquaque; quoniam autem aliquid appareat necesse est, figura autem non potest, relinquitur colorem solum apparere. Quia verò, egò adderem, sensus circà pauca maior est, sicuti plurima minor, ideò cum in vrina pauca solus color sensui sese obuiam faciat, non autem figura etiam simul, propterea magis cognoscitur color ruffus in pauca vrina quam in multa:& propterea diuisim colligenda est nõ autem multa simul. Alia verò ratio cur distincti magis colores in pauco quam multo sint, est quoniam oculus faciliùs recipit speciem obiecti pauci quam multi & magni: anguli specierum visibilium quo magis acuti & pauci sunt, eo etiam melius recipiuntur intrà pupillam, & colores quos repræsentant melius, magisq;

distinctè deprehenduntur, quam anguli magni & lati, obiectorumque magnorum. Sic igitur vrina pauca & ruffa, magis etiam ruffa percipitur, quoniam distinctè magis eiusdem species intrà organum visus recipitur, quam vrinæ multæ & ruffæ.

PROBLEMA LIV.

QVam ob causam corpus cui conciliamus valetudinem non densum, sed rarum reddendum est? At vt Vrbs locusque quicunque salubris est, qui placidè aspiratur? quapropter & mare quoque salubre est ita etiam corpus quod spiratius est sanitati opportunius constat, aut enim nullum recrementum existet, aut quod extiterit quamprimum excernatur danda opera est, corpusq; est semper ità regendum vt simul atque excrementum admisit, habeat qua parte illud excernat

sitque

sitque deditum non quieti : quod enim manet putrescit modo aquæ immotæ, putrescens verò morbum committit : at quod excernitur, antequam vitietur decedit: hoc igitur ut corpore denso nunquam contingit (fit enim prope ut inuisibilia foramina claudantur) sic raro solutoq; accedat necesse est: Quamobrem in sole nudo corpore minimè ambulandum est, spissatur etenim caro & concalescit, corpusq; parte interiore humidius redditur : quantum enim humoris residet aboletur : quantum intestinum est manet intactum : Qua ratione assæ quoque carnes lixis humidiores sunt. Nec pectore quidem nudo ambulandum est, ità enim vis solis corporis optimè parti conditæ adimet, quæ nulla egeat demptione, sed inferna potius eam desiderant. Inde igitur ut & remoto non nisi cum labore

su-

sudor educitur, hinc facilè ob loci opportunitatem digeri potest.

DISPVTATIO LXI.

CORpora hominum alia raręalia vero densæ texturæ sunt: ad conciliandam verò valetudinem non densũ sed rarum corpus reddendum esse, apponit in præsenti probl. Aristoteles: At Gal. lib. de optima corporis constitutione: quapropter inquit moderatum corpus neque rarum, aut densum dici debet; sed sicuti inter alios, sic quoque inter hos execessus medium constituendum est: & quod medium inter exuperantias omnes possidet mediocriter resistit: idemque inter vniuersa corpora saluberrimum censemus. Itaquè non rarum at moderatum corpus reddẽdum est pro valetudine concilianda, dicet aliquis, statim cum Gal.

Respondetur, rarum corpus reddendum esse

esse pro valetudine concilianda, cum dicit Aristoteles, non quidem simpliciter loquitur, sed respectiuè, & in ordine ad corpora, quæ propter densitatem valetudinaria efficiuntur: quibus profectò raritas efficienda est: nam de ijs morbis intelligit in probl. Aristot. de quibus Hip. in lib. de alimento locutus est; vbi raritas corporis, legitur, ad transpirationem quibus plus fertur salubrius, quibus minus morbosius, qui probè spirant imbeciliores, & saniores & facile conualescunt; qui malè perspirant prius quam ęgrotent robustiores sunt. Cum vero in morbum inciderunt difficilius sanescunt, hæc autem & toti & parti. Circa quæ verba Gal. in lib. de optima corporis cõstitutione, quæ enim, inquit, ab Hipp. in lib. de alimento scripta sunt, raritatem scilicet corporis quibus plura perspirationis causa per cutim feruntur, salubriorẽ, quibus pauciora morbosiorem, dicta ab eo sunt de alimenti ipsius excrementis, quæ ad sanitatem aut morbum pertinent; non enim salubria simpliciter aut morbosa corpora in eo lib. sibi inuestiganda proposuit, sed de commodis omnibus atque incommodis scripturus, quæ ab alimen-

mento proueniunt: de morbis nimirum qui à causa internè genita proficiscũtur, & quibus raritas corporis maximè prodest: Vnde rationem probl. assignans Aristoteles, an inquit vt Vrbs locusque quicumque salubris est, quu facile aspiratur: ita etiam corpus quod spiratius est, sanitati opportunius cōstat: aut enim nullum recrementum existet, aut quod restiterit quamprimum excernatur danda opera est, corpusquè est semper ità regendum vt simul atquè excrementum admisit habeat qua parte illud excernat.

Sed excrementa in hoc loco plura sunt, dicet aliquis: sicuti enim tres dantur in quolibet humano corpore concoctiones. prima scilicet, secunda, & tertia. Primaquè in ventriculo & venis meseraicis celebratur. Secũda in iecore, & venis. Tertia verò in qualibet corporis parte: atq. in prima concoquitur alimentum ore sumptum, & chilus generatur: in secunda concoquitur chilus & generantur sanguis & humores. In tertia verò concoquitur sanguis & generātur quatuor appellatæ, humiditates secundæ scilicet, prima humiditas Ros, Cambium, & Gluten: ità

igi-

igitur & plura ſunt excrementa in corporibus humanis. de quibus ergò intelligit Ariſtoteles cum ſuperioribus proximè verbis? Et quidem raritas corporis vel dẽſitas præcipuè intelligitur de partibus cutaneis vbi pori rari vel denſi adſunt; ideò de ijs excrementis præcipuè intelligit Ariſtoteles ad quorum euacuationem pori ijdem deſtinati ſunt, qualia halitus & inſenſibilis tranſpiratio & ſudores ſunt, vt clarius per alia verba inferius habetur. hæc etenim excrementa propriè tertiæ concoctionis ſunt quæ in partibus corporis ſubſtantificis generantur: vndè Ariſtoteles, ſitq. motui deditum, ſubdit ibidem corpus non quieti: nam motus attenuat & corpora rariora facit. quamquam largo modo loquendo de quibuscumquè excrementis problema Ariſtotelis intelligi etiam poſſit: tametſi enim raritas vt dicebatur de partibus cutaneis, ſiuè cuti proximis propriè intelligatur, ſicuti & dẽſitas, tamen etiã de alijs partibus interioribus accipi poteſt: corpus ſcilicet rarum, vel denſum eſt, & quoad vaſa, & quoad ſubſtantiam; igitur & de excrementis vltimæ coctionis necnon etiam primæ & ſecundæ problema intelligi

po-

potest. Vndè Aristoteles idem paulò inferius, nam quod manet putrescit modò aquæ immotæ addit, putrescens verò morbum committit. possunt autem manere excrementa & in concauitatibus, & in substantia, Itaquè de omnibus excrementis intelligendum est etiam.

Sed quod manet putrescit, inquit Aristoteles in probl. modo aquæ immotæ, hoc est in corporibus densis, & quæ non possunt aspirare, excrementa putrescunt. cur verò putrescunt iterum queret aliquis? putrefiunt respondetur propter prohibitam transpirationem, nam præter calorem innatum vnicuique parti fixum, est in corporibus nostris calor influens appellatus à corde per totum corpus fluens, patrocinio innati dicti caloris. qui quidem calor influens cum halitum non habeat siuè transpirationem, intus retinetur, retentus cumulatur, & in excrementis calor augetur extraneaturque atque putrefactio celebratur, & sic quiescens, siuè non transpirans putrescit veluti aqua immota, dum etenim aqua immota existit partes externæ ipsius aquæ densantur, vndè calor internus transpirare non potest, internè ergo

cu-

cumulatur & putrefit aqua eadem: quamobrem in sole nudo corpore minimè ambulandum subdit Aristoteles, spissatur enim caro & concalescit, corpusquè parte interna humidius redditur; quantum enim humoris residet aboletur: quantum intestinum est manet intactum; qua ratione quoque carnes assæ, lixis humidiores sunt. Videbitur fortasse alicui hæc vltima Aristotelis conclusio erronea, scilicet quod assa, lixis humidiora sint: nam illud est siccum quod alieno termino difficilè terminatur, proprio verò facilè, sicuti è contrà humidum proprio difficile, alieno verò facile cum Philosopho in phisicis. Sed elixa ita sunt magis quam assa. ergo elixa, assis humidiora, non autem è contrà. Hanc conclusionem Aristoteles repetit etiam 4. Metheor. cap. 4. vbi Valles. aduersus eundem Aristotelem in com. vehementer dubitat. Sed tamen nihil falsi ex Aristotele affirmatur, & assa elixis humidiora esse verissimum est: sunt humidiora inquam propria humiditate non aliena, sicuti de eadem propria humiditate intelligendo, elixa assis internè sicciora. Et præterquam quod experientia id apparet, probat Aristo-

ſtoteles in eodem loco 4. Metheor. tali pacto, nimirum elixa magis exiccantur, ſiuè facilius, quam aſſa. ergò elixa aſſis ſicciora; nam elixa eadem propria humiditate exuta ſunt magis quam aſſa. Non obſtat autem quod Gal. 1. de ſimp, med. facul. c. 8. aquam aſſeruerit vim humectandi nunquam deponere, & ea ipſa quæ ab ea feruente exuruntur haud quaquam fieri ſicciora, vt quę vrũtur igne; nam & quæ elixantur non fiunt ſicciora vt quæ aſſantur, videlicet elixa humidiora ſunt aſſis humiditate accidentali non autem propria, vt aſſerebatur.

Et deniquè nec pectore quidem nudo ambulandum eſt ſunt reliqua verba Ariſtotelis in problem. ita enim vis ſolis corporis optimè parti conditæ adimet, quæ nulla egeat demptione, ſed inferna potius eam deſiderant. Indè igitur vt è remoto non niſi cum labore ſudor educitur, hinc facilè ob loci opportunitatem digeri poteſt. quæ omnia mutuata habuit Ariſtoteles ex Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis ſect. 3. com. 29. vbi ſic legitur; Ex ipſis hominibus tenuiſſimum, & leuiſſimum humorem Sol educit: Maximum verò huius ſignum eſt vbi homo

in sole ambulauerit, aut sederit vestibus indutus, quidquid corporis Sol aspexerit non exudat: rapit enim sol quidquid sudoris elicitum est; quod vero sub veste contegitur, aut sub alia re, exudat, elicitur enim à sole, & exprimitur. seruatur autem à tegumentis ne disperdatur à sole. Cum verò in vmbram venerit, totum corpus similiter sudore aspergitur: non enim sol amplius affulget. quorum sensus in summa verborum apud doctissimum Septalium hic est. Pro valetudine scilicet concilianda nudo pectore soli se exponere non esse sanum, quoniam fieri potest, vt non externæ partes exiccatione, & excrementorum assumptione indigeant, sed internę, quo fiet vt ab ea parte ea auferamus quę ablatione nulla indigent; ab ijs verò in quibus opus esset aliqua euacuatione vt superflua educantur, quod sudore prolicito sol præstare deberet, exiccatis, & subindè condensatis externis partibus difficillimè, & non nisi magno labore id posset efficere.

PROBLEMA LV.

QVam ob causam pernionibus, & ambustis frigore, tam aqua frigida, quam calida prosit? An quoniam genus id vitij ex nimio humore consistit: frigida igitur humorem restringit, atq; exasperat, calida in spiritum vertit, carnemq. elaxans, libertatem efflandi præstet spiritui.

DISPVTATIO LXII.

PERNIO χημεθλον græcè dicitur ἀπὸ του χημῶνος, affectus est pedum ex nimio frigore proueniens, & calcaneum maxime infestans. Vlcus appellatur à Celso lib. 5. cap. 28. fiunt inquiens etiam ex frigore hyberno vlcera maxime in pueris, & præcipuè pedibus, digitisq. eorum, nonnunquam etiam in ma-

ni-

nibus rubor cum inflammatione mediocri est: Interdum pustulæ oriuntur, deindè exulceratio, dolor autē modicus, prurigo maior est, nonnunquam humor exit, sed non multus, qui referre vel pus, vel saniem videtur. Paulus Aegineta lib. 3. cap. 79. perniones inquit vlcera sunt, quæ ex frigore hyberno in digitis manuum, pedumq. contrahuntur, græci χιμεθλα appellant. Ioannes Manardus lib. 7. epist. med. epist. 2. ad Michaelem Sanctannam Chirurgum de nominibus morborum in interioribus corporis partibus euenientium, fiunt & in hyeme, inquit etiam, in digitis pedum præcipuè, & in calcaneis tumores quidam cum liuido rubore, qui, (nisi citò occurratur) in vlcus transeunt, perniones latinè vocati, græcè χιμεθλα, vulgò mugos, vel bugantias appellant. Ex frigore igitur, apud omnes, affectus iste pernionum proficiscitur, & nihilominus ijsdem tam aqua frigida, quam calida prodest. Quærit huius rei rationē Arist. & an inquit, id accidat quoniā huiusmodi vitium pernionis ex nimio humore consistit. frigida igitur humorem restringit, & exasperat; calida in spiritum vertit, carnemque elaxans, liber-

tatem efflandi præbet spiritui. Causa materialis pernionũ est nimius humor, vt audiuistis, cui humorũ abundantiæ diuersa tamen ratione, & aqua frigida, & calida prodest. aqua inquam frigida prodest primò respiciendo causam pernionum materialem dictam, nam frigidi est constringere, & condensare; vndè frigus aquæ constringendo impedit etiam humoris fluxionem, à qua pernio procedit. prodest secundò eadem aqua frigida occurrẽdo inflammationi, quæ perniones sequitur; & deniq. frigidum pernionibus prodest auferendo partibus sensum. de podagra enim loquens pariter Hyp. 5. aphor. 25. tumores articulorum atq. dolores absq. vlcere, podagras, & conuulsiones, horum plurima frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat, soluitq. dolorem, nam modicus torpor dolorem soluit.

Sed non solum frigida, verum etiam calida pernionibus prodest cum Aristotele in probl. nam calidi est aperire, inquiens, & humoris quantitatem pernionis causam in spiritus abire, vel diffluere facit calidum idem. Animaduertendum verò est, quod quando Aristoteles frigidam, & calidam

aquam

aquam pernionibus conferre docuit, causæ materiali tantummodo pernionum respexit, siuè abundantiæ humiditatis, ex qua ijdem proficiscuntur, nõ autem sympthomatibus; nam perniones vt audiuistis superius, interdum rubor cum inflammatione mediocri solum sunt, interdum pustulæ, interdum verò vlcera, & sic prout à varijs concomitantur sympthomatibus, ita etiam varia medicamentorum genera requirunt, vt à medicis etiam infinita excogitata fuere. Cornelius Celsus loco superius allato curationem pernionis moliendo, in primis multa calida aqua fouendum est, inquit, in qua rapa decocta, aut si ea non sunt, aliquæ verbenæ ex reprimentibus. si nondum adapertum vlcus, aes quam maximè calidũ, quis pati potest, ad mouendum est. Si iam exulceratio est, imponi debet alumen æqua portione cum thure contritum vino adiecto, aut malicorium in aqua cocta, deinde contritum. si summa detracta pellicula est, hic quoque melius lenia medicamenta proficiunt. Paulus etiam lib. 3. cap. 79. infinita huiusce modi pernionum remedia affert, vt idem videre est copiosissimè apud Aetium tetrabil.

1. serm. 1. tetrabil. 4. serm. 2. cap. 73. apud Plinium lib. 20. cap. 2. lib. 22. cap. 13. 22. 25. lib. 23. cap. 3. 6. 7. lib. 26. cap. 10. & 11. lib. 27. cap. 5. lib. 28. cap. 6. 9. lib. 32. cap. 6. & alibi. Aldrouandus denique neotericus author lib. 4. piscium, de sturione loquendo cap. 9. adeps inquit sturionis salsi perniones emendat; vt sepum ceruinum combustum simul cum ostrea testa minuta commista, & factum quasi malagma, mirè pernionibus prodest cum sexto Platonico; sed de remedijs pernionum infinita est sylua, ideò hæc satis sint dicta.

PROBLEMA LVI.

Cur frigus perniones, calor ambusta, & facit, & tollit? An quod eadem vis colliquefaciendo facit, exiccando tollit.

DI-

DISPVTATIO LXIII.

CVM perniones ab vna eademq. causa frigida ortum ducant, cur etiam calida, & frigida aqua tollantur, examinauit superius Aristoteles, vt audiuistis. Nunc verò in præsenti problem. quod præ manibus explicandum habemus, de ijsdem pernionibus agendo, cur etiam quærit perniones frigus, & faciat, & tollat; sicuti calor ambusta cur facit, tollitque? Et an quia respondet eadem vis colliquefaciendo facit, exiccando tollit? eadem scilicet ratione frigus facit, & tollit perniones, sicuti calor ambusta. calor ambusta facit colliquando, & eadem ambusta exiccando sanat: ita etiam frigus colliquando facit perniones, exiccando verò eosdem sanat. Colliquando inquam frigus facit perniones, nam in corporibus nostris vi frigoris exprimuntur humiditates, liquescunt, huc, & illuc fluunt, & tandem ad debiliores partes decumbunt, quales manus, & pedes sũt,

in quibus perniones à frigore gignuntur; Et quoniam insuper idem frigus adstringit, & densat, exiccat etiam humores, atque perniones sanat. sed omissis pernionibus; Calor, dicebatur, ambusta & facit, & tollit. Quod faciat res est clara: sed quod tollat, videtur difficilè: nam idem, vt idem non potest facere nisi vnum effectum; ergò etiam calor si facit ambusta, eadem sanare non potest.

Respondetur quod quandò Aristoteles calorem facere, & sanare ambusta, inquit, non intelligit calorem, vt qualitas, verum vt substantia est; videlicet calidum, & facit, & tollit ambusta, facit vt calidum, tollit verò vt siccum; quemadmodum exemplo fabrorum ferrariorum manifestum apparet, qui partes combustas à carbonibus, vel candenti ferro, aut alijs similibus, statim flãmæ exponunt, & sanantur; sanantur inquam à flamma vt exiccante, & impediente ad partem combustam humorũ fluxionem; nõ autem vt calefaciente: Quamquam adustionis curationem tutius, & iucundius fit cum siccis frigidis primo moliri, quam calidis. Vndè Celsus lib. 5. cap. 27. ad finem, de adustis

lo-

loquendo, sed diuidi, inquit, quoquè curatio potest in ea, quæ mediocriter excedentia, reprimentiaq. primò & pustulas prohibeant, & summam pelliculam exasperent; Deindè ea quæ lenia ad sanitatem producant. Ex prioribus est lenticulæ cum melle, farina, vel myrrha, vel vino; creta cimolia cum thuris cortice contrita, & aqua cocta, atque vbi vsus necessitas incidit, aceto diluta; ex insequentibus quælibet lipara, sed idonea maximè est, quæ vel plumbi recrementum, vel vitellos habet. Est etiam illa aduſtorum curatio, dum inflammatio est; impositam habere cum melle lenticulam; vbi ea declinauit hordei farina cum ruta; vel porro, vel marrubio, donec crustæ cadant; tum eruum cum melle, aut irin, aut resinam terebinthinam, donec vlcus purum sit; nouissimè siccum linamentum. Paulus etiam lib. 3. cap. 11. Itaq. inquit terra chia ad ombusta prodest, cimolia, cretica, omnisq. leuis terra illita cum aceto modo admodum acri, vel aqua præclare facit, prohibetq. pustulas excitari. item oui albumen crudum statim impositum, lana molli exceptum; etenim refrigerat leuiter, & citrà ro-

sionem

sionem desiccat. idem efficit atramentum scriptorium illitum, vel lacryma thuris aqua diluta, vel lenticula cocta, tritaq. vel eruus applicatur, & huiusmodi alia describit medicamenta Paulus. Quemadmodum Plinius lib. 20. cap. 3. laudat lactucam cap. 20. laudat coriandrum viride, cap. 21. maluam. lib. 22. cap. 20. laudat anchusam. cap. 22. succum decoctæ radicis asphodeli in oleo, scandicem. cap. 25. polentam cum vino, sesamam tritam cum vino, lentem puluerizatam cum melle, cinerem sarmentorum cum rosaceo, ruta, & aceto. lib. 23. in prohemio oleum mirtinum. cap. 4. oleum cycinum, decoctum foliorum cypressi, siuè siccæ fici cum cera. cap. 7. decoctum siccæ fici cum cera, & rosaceo, oleum mirtinum. cap. 9. foliorum cineres mirti, nucleas gallę. lib. 24. cap. 4. cinerem corticum terebinthi, platanum. cap. 8. platani eiusdem cineres, lacrymam vlmi, decoctum hederæ cum cera, gummium genera omnia ferè. cap. 11. folia aron ex vino, & oleo cocta. lib. 26. cap. 12. plantaginem, androsemon, siue oscyron. lib. 27. cap. 5. arction, siue arturum. lib. 32. cap. 6. stibium cum adipe, spuma argenti

ce-

cerussa, vel cera. lib. 35. cap. 15. alumen. lib. 36. cap. 16. lapidem hematitem: Dioscorides etiã laudat vrticam. Et sic alij alia docent adustionis præsidia, quæ prout diuersis constant temperamentis ita etiam diuersis, & varijs temporibus adustionis administrari debent, vt enim dicebatur superius in principio frigida potius, & sicca esse debent; in statu quo ad caliditatem, & frigiditatem temperata, licet semper sicca; in fine verò, & ablata prorsus inflammatione, quæ adustiones perpetuo sequitur, sicca, & calida potius, ad hoc vt pars affecta ex medicamentis frigidis labefactata, ad primeuas eius vires reducatur, quæ in calido, & sicco consistunt.

PROBLEMA LVII.

Cur potio febrientibus sæpe, & paulatim subministranda sit? An quod potio multa præceps defertur, exigua lentè incedens irrorat, madefacit, sesequè

seque insinuat corpori. sicuti enim in humo, si aqua largè accesserit, profluet, si paulatim verò, madefaciet tantũ; ità etiam in febrientibus agit. nam & aquas fluentes si quis paulatim deducit, alueus humorem totum ebibit: sed si tantundem aquæ vniuersum dimiserit, scaturigo velox vsq. eò profluet, quò deducere libitum est. tum ager quiescere, immotusq. quoad maximè fieri potest, iacere debet immotus, inquam, quod ignem quoque emarcescere certum est, vbi à nullo mouetur. Nec aduersus flatui cubet, quoniam flatus exiccat ignem, solicitatusq. per auram ignis ex paruo magnus assurgit. Obuelandus ager, operiendusq. propterea est, quia si nullum igni concedatur spiraculum, extinguetur: nec veste quidem exui debet, donec insudare occœperit. Vt enim subiectũ

hunc

hunc ignem visui, sic & delitescentem illum naturæ humor extinguit. Adde in genere febrium intermittentium balneum, & fomenta pedibus admouenda, & vestem pleniorem superponendam, & quietem agendam, quibus præparetur, vt corpus per quam calidum sit ante accessionem. Vbi enim multum superest ignis, lucerna nequit ardere: exiguum quippè ignem multus ille ad se trahit. ita fit, vt multum ignis in corpore præparandum sit: febris enim exiguum continet ignem, multusque proindè ad se ducet exiguum.

DISPVTATIO LXIV.

DE potu febricitantium egimus copiosè in theoria febrium, & vtrum vinum in febribus exhibendum ſit, quale, quantum, cui, & quomodo pluribus, explicauimus: ſicuti etiam quæ nam aqua conueniat, an decocta, vel cruda, an ceruiſia etiam ζυτὸς græcè appellata, & huiuſmodi. Cum igitur Ariſtoteles vniuerſaliter, cur potio febrientibus ſæpè, & paulatim ſubminiſtranda ſit, quærat, primò examinandum eſt de qua nam potionis ſpecie intelligat, an ſcilicet de vna, an de pluribus, an verò de omni? & quidem potio dicit relationem ad ſitim, nam propter ſitim potio inuenta fuit etiam, vnde ſitis eadem appetitus frigidi, & humidi ex Ariſtotele definitur 2. de anima tex. 28. nempè quatuor sũt, quæ ad corporis viuentis conſtitutionem materialiter concurrunt, calidum ſcilicet, frigidum, ſiccum, & humidum. de his autem quatuor partibus continuò actione ca-

loris

loris naturalis consumitur; propterea data fuit à natura facultas vegetatiua, cuius officium esset easdem quatuor substantias continuò reparare, & reproducere. continuò igitur vegetatiua facultas appetit restaurationem dictarum substantiarum deperditarum. qui quidem appetitus vel fames, vel sitis à Philosophis appellatur; nempè appetitus restaurationis partium calidæ, & siccę, fames dicitur, frigidæ verò & humidæ sitis. Hic igitur appetitus vegetatiuæ animæ est, & in eadem facultate vegetatiua subiectatur, & pro vt in viuentibus partes dictæ frigidæ, & humidæ deperduntur, ita etiam plus vel minus augetur, & viget. cum etenim deficit frigidum, & humidum in viuentibus corporibus tantummodò actione caloris naturalis, tunc excitatur in anima vegetatiua appetitus restaurationis dictorum frigidi, & humidi naturalis, atque talis appetitus sitis naturalis est. Si verò plus humidi, & frigidi dictorum deperdatur, quam actione caloris naturalis, nempè calor etiam præternaturalis ad dictarum partium perditionem concurrat, tunc appetitus restaurationis maior in facultate vegetatiua excitatur,

atque

atque sitis præternaturalis à Philosophis, vel Medicis appellatur. Et sic ad nostram hypothesim nunc redeuntes, Aristoteles in præsenti, cum de potione febrientium loquatur, verisimile est etiam de siti non naturali intelligere, at præternaturali, & multa. siti autem præternaturali, vt sitis est, non conuenit vinum, neque ceruisia, sed è directo eiusdem causæ prospiciendo, quæ calida, & sicca est, tantummodò aqua frigida, & humida conuenit. Igitur de aquæ potione etiam intelligendus est Aristoteles, cum potio febrientibus, cur sæpè, & paulatim subministranda est, quærit: aut de potione alia, quæ aquæ eiusdem vires refrigerandi, & humectandi habeat, siue huiusmodi potio composita sit, siuè simplex.

Cur potio itaquè sæpè, & paulatim febrientibus subministranda sit, quærit Aristoteles. & an quod potio multa præceps defertur, respondet: exigua verò lentè incedens irrorat, madefacit, seseq. insinuat corpori. sicuti enim in humo, si aqua largè accesserit, perfluet, si paulatim verò madefaciet tantum: ita etiam in febribus agit: nam & aquas fluentes si quis paulatim deducit,

ducit, alueus humorem totum ebibit: sed si tantundem aquæ vniuersum dimiserit, scaturigo velox vsq. eò profluet, quò deducere libitum est.

Sed Gal. dicet aliquis, 9. meth. 5. & alibi, in cura febris synochi, offerendam docet potui aquam frigidam, & quantam ægro bibere libet. vt etiam pragmatici hodiernis temporibus passim vtuntur in eadem febre. Itaq. non paulatim, & sæpe potio febrientibus subministranda est.

Respondetur potionem frigidam fuisse exhibitam à Gal. superius non quidem, vt alimentum, sed vt medicamentum: Quod si, inquiens, curare aliquandò infirmum febre synocha cogeris, cui non solum anteà secandæ venæ remedium prætermissum est, sed nunc quoq. vel per medicorum ignorantiam, vel ipsius laborantis propinquorum eius timiditatem procedente tempore mittere sãguinem prohibueris, ad frigidam exhibendam accedes, sed diligenter antè discernens, quantum ex ea nocumentum contingere possit: nam si id aut exiguum erit, aut nullum offerenda potui est, quæ prorsus sit frigida, quantum bibere ęgro bibet: Hic

verò Aristoteles cum febrientibus, potionem paulatim sæpe offerendam esse docet, de potione loquitur è contra vt alimento non vt medicamento, Alimentum insuper statutis horis exhibetur. igitur, & potio febrientibus statutis quibusdam horis in mensa, paulatim, & sæpè offerenda est, non autem qualibet hora, vt fortasè aliquis dubitare posset, & à nonnullis ità fieri obseruatur.

Non obstat autem, quod Triuerius in com. ad lib. Hyp. de victu idiotarum arguit. nempè in febriētibus si quis parum pitissat, magis inflammatur. Quocircà multo humido simul ægros prolui oportet: In sanis è cōtra paulatim, sed sæpius bibendum, vt fiat melior cibi fermentatio, & digestio. An & in ægris febrientibus cibi fermentatio, & digestio, Triueri, facienda non est, sed solum in sanis? Quinimò magis in ægris procuranda dicerem, quam in sanis; cum in ægris calor naturalis imbecillis adsit, in sanis verò validus, & sic fermentatio minus in his, quam in illis impediri possit, vel deprauari. Paulatim sanè in febrientibus, de quibus solum nunc agit Aristoteles in præsenti probl. nec-

non

non etiam sæpè offerenda est potio. nam potio multa præceps defertur, vt audiuistis, exigua verò lentè incedens irrorat, madefacit, sequè insinuat corpori. hæc sunt illa, quæ Aristoteles ex potione in febribus exoptat; nempe vt non fluat tota simul, sed corpori se insinuet, nam corpori se insinuando irrorat madefacit: madefacit inquam siuè refrigerat, & humectat, quæ duo à febribus super omnia indicantur; Quod si, dicebat Gal. 1. acut. com. 1. tex. 18. contraria contrariorum remedia sunt, sanè febris peculiare remedium, vt virtute cum refrigerante, tum etiam humectante sit, oportet, id namque febris naturæ, quæ calida & sicca est, contrarium erit.

Tum æger quiescere, sunt alia verba Aristotelis, immotusq. quoad maximè fieri potest, iacere debet immotus, inquam, quod ignem quoque emarcescere certum est, vbi à nullo mouetur. Vtrum hæc, in ordine ad sitim, vel potionem suprascriptam dicat Aristoteles: an verò aliud sit documentum solummodo curationi febrium directum, parũ vel nihil refert, disquirere. Sed supposito, intensionem Aristotelis esse febrem in com-

muni curari, preter potionem, quam paulatim, & sæpè esse exhibendam, superius dixit, nunc in ijsdem febrientibus motum maximè prohibendum docet, nam motus est causa caloris, quies autem marcescentiæ ignis è contra.

Nec aduersus flatui cubet febricitans, tertio loco docet Aristoteles, quoniam flatus excitat ignem, sollicitatusq. per auram ignis ex paruo magnus efficitur. Vtiquè febris πῦρ, vel ignis à græcis appellatur, at non ignis formaliter est, sed qualitatiue solum. Vtrum ergo, & exemplum de igne hic ab Aristotele allatum valeat etiam in febribus, quæ non ignis, sed calor tantummodò sunt, siuè quid calidum. ignis augetur à flatu percutiendo, nam motus, & à vento percussus calefacit magis & augetur. sic igitur, & febrientibus aduersus flatui decũbentibus accidit, flatuum percussione corpora febrientium magis, magisq. calefiunt: flatuum tamen modica percussione, siquidem cum Galen. lib. de morborum causis cap. 3. flammas flabellans, si quidem modicè hoc feceris, augebis, si verò immodicè dissolues, ac dissipabis. sed nocent præterea flatus ex-

terni

terni in febribus, quoniam si magni sint, pori corporum constringuntur, cutis condensatur, & sic calor febrilis in interioribus conclusus magis nocet deindè.

Obuelandus æger, quarto loco docet Aristoteles, operiendusque propterea est, quia si nullum igni concedatur spiraculum extinguetur; nec veste quidem exui debet donec insudare cœperit. Obuelari ægrum febricitantem, & stragulis cooperimentis eundem à flatuum percussione defendere, vtiq. maximoperè laudo, at non quià ignis extinguatur, nam extinctione caloris febrilis, poterit cooperimentis multis, etiam calor naturalis suffocari. sicuti febre declinante, atque natura ad sudorem turgente veste exui non debet æger, siuè stragulis priuari, donec sudor incęperit, quinimò perfecerit, amplius adderem.

Vt enim subiectum hunc ignem visui, sic & delitescentem illum naturæ humor extinguit, subdit eodem loco Aristoteles. sed tamen diuersa ratione ego dicerem. hic etenim visui subiectus ignis extinguitur ab aqua, tanquam à contrario, & immediatè; delitescens verò, atquè febrilis per acci-

 dens,

dens, & mediatè, atquè ignis causam natura propulsando.

Adde in genere intermittentium febriũ, balnea, & fomenta pedibus admouenda, & vestem pleniorem superaddendam, & quietem agendam, quibus præparetur, vt corpus perquam calidum sit ante accessionem, vltimo loco sunt verba problematis. Vbi enim multum superest ignis lucerna nequit ardere: exiguum quippe ignem, multus ille ad se trahit. Ita fit, vt multum ignis in corpore præparandum sit: febris enim exiguum continet ignem, multusq. proindè ad se ducet exiguum. Non quidem hæc ait Aristoteles quoniam de febre solum intermittente in præsenti problemate agere intentionem habeat: at ex vniuersali ad particularem febrem descendendo, in principio eiusdem febris, quæ cum pedum perfrigeratione, vt plurimum, vel semper accidere solet, ante accessionem pedes maximè calefaciendos docet, vt scilicet calor hic externus calorem internum ad se trahat, & tum etiam ego dicerem, ne maior fiat retractio caloris in interiora, propterea in exterioribus, & pedibus præsertim calor idem conseruandus est.

Con-

Conseruatur autem nost·:s temporibus calor in pedibus circà febrium accessiones, aut vestimentis, vel lateribus calefactis, aut alijs instrumentis similibus calefacientibus ad pedes admotis: non autem fomento, & balneis, cum balnea eadem, & fomenta calida parum, vel nihil nobis in vsu sint, antiquo verò tempore è contra maximè frequentia essent.

PROBLEMA LVIII.

Qvartanis febribus ratio victus extenuanda non est, sed ignem corpori interserendum, nec non exercitatione vtendum: & qua die accessio instat, lauandum, somnumq́ minimè quærendum. Hic victus calefaciens prodest, quia febris quartana imbecilla est: nam nisi imbecilla esset quartana non fieret. videsnè lucernam, vbi multus ignis perflagrat,

ſuam aſſeruare flammulam minimè poſſe? multus enim ille exiguum ad ſe rapit: ergò multum ignis accẽdendum in corpore eſt, vt quod exiguum febris continet, reſtinguatur. ſit igitur victus quotidiani ratio, quæ partim ignem, partim rorem indat in corpus.

DISPVTATIO LXV.

PLVRA ſunt, quæ Ariſtoteles in pręſenti loco docet. primum ſcilicet documentum eſt quartanis febribus victum tenuem exhibendum non eſſe, & quidem ad mentem Hipp. 1. aphor. 4. vbi victus tenuis, & exquiſitus in morbis quidem longis ſemper, in acutis verò, in quibus non conuenit periculoſus legitur. Cum ergò quartana febris longus morbus ſit, victus ratio in eadem extenuanda non eſt. Quod autem quartana fe-

febris longus ſit morbus patet manifeſtiſſimè ſenſu ipſo, & Auicenna 14. tract.7. c.6. ad duodecimũ annum interdum fuiſſe protractã refert. Cuidam etiam ad vigeſimum vſque annum quartana febris perdurauit, Schenchius refert in ſuis obſeruationibus, quamquam duratio quartanæ vt plurimum annua ſit cum Hipp. 6. epid. ſect.6. context. 22. quartana inquiens vltra annum non producitur. cuius rei ratio eſt cum Valleſio in com. quoniam vt acutæ febres motum ſequuntur lunæ, ita etiam longas ſequi motũ ſolis conſentaneum eſt. igitur vt acutæ febris fines ſunt intrà menſem; ità cronicarum fuerit intrà annum; atque vt acutæ quædam menſis dimidium, atque etiam aliæ minus durant: quæ verò menſem ſuperant ſunt decidentes ex acutarum conſtitutione ità longæ. In hoc genere ſunt quotidianæ, & quartanæ, quædam dimidium anni durant, quædam menſes duos, & quæ longiſſimæ ſunt annum integrum: quod ſi eum ſuperant, id quidem fiet ob prauum victum, vel ob ineptam curationem, aut etiam aliquando ob coniunctam viſceris cuiuſpiam intemperiem, fueritq. ea quartana producta vltrà

com-

communem quartanæ constitutionem. & certè, subdit ibidem Vallesius, testari possumus paucos esse, quæ in ijs, qui prudenter se gerant, non claudantur intra annum vnum. Quartana igitur cum longus sit morbus, attenuantem victus rationem non indicat, nam in morbis longis cum tenui victu ægri delinquunt per eundem Hip. 1. aphor. 5.& 9. eiusdem libri. Coniectari oportet an æger cum victu sufficiat perdurare donec morbus consistat, & num quid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, quemadmodum in quartana febre accidere posset actenuantem victus rationem exhibendo.

Secundò ignem corpori interserendum in quartanis febribus docet Aristot. iuxta illa Cornelij Celsi in cura lentarum febrium lib.3.c.9. & nō inutilis quandòq.consilij est interdum augere morbum,modo verò diminuere, vel ad alium statum transmutare, & febrem accendere, sed qua ratione quartanarijsignis corpori interserēdus est? An quia causa febris quartanæ frigida est? sed ex altera parte communi opinione quotidianæ causa etiam frigida est,ac tamen ignem in ea-

eadem interserendum non docent medici; cum etiam ignis natura sua calidus, & siccus sit, vndè pituitæ, quotidianæ causa, magis quoq. contrariabitur, quã melancoliæ quartanæ causa decantatæ. Ea igitur ratione ignẽ interserendum esse in quartanis febribus dicere debemus, quã Arist. in hac eadem sententia doctissimè affert, hic, inquiens, victus calefaciens (nempè victu præcipuè ignem in febribus quartanis interserendum intelligit) prodest, quià febris quartana imbecilla est, nam nisi imbecilla esset, quartana nõ fieret. Alibi docuimus, nempè in theoria febrium, earundem febrium typos, vel exacerbationes fieri à natura tali modo ad mouendum disposita. sopposito igitur, quod multus sit humor, qui febre mediante obtinendus sit, atq. natura debilis, tunc febris etiam debilis generatur; cumq́ue debilis non poterit obtinere, vel cõsumere multũ humorem, qui in corpore stabulatur, ideò arte febris eadem augẽda est, & victu vel alijs similibus ignem corpori intersere debet medicus, vt passim etiam in quartanarum curatione pragmatici agunt. theriacam enim veterem, vinum metacum, & alia huiusmodi exhibent pro quar

tana-

tanarum curatione. Et sic ignem corpori interserẽdum quartanis febribus docet Arist. in præsenti problemate. Videsnè, subiũgens, lucernam, vbi multus ignis perflagrat suam asseruare flammulam nõ posse: multus enim ille exiguum ad se rapit, ergo multum ignis accendendum in corpore est, vt quod exiguum febris continet, restringuatur quartana, vult dicere Aristot. præcipuè oritur ab humore frigido, & multo, nam multus humor nisi longo tempore consumi non potest: & certe patet experientia ipsa corripi quartana vt plurimum homines plenos, atq. cachochimia scatẽtes: quæ quidem cachochimia nisi etiam longo tempore consumi non potest: ideò ad hoc, vt possit longo tempore natura ad motum febris perdurare, quartanario typo vtitur, atq. debili calore; nam ex multo humore calor in corporibus hominũ debilitatur, suffocatur, vilescit. ideò tanquã paucus non potest fieri magnus dum accenditur; ergò victu calefaciente augendus potissimum est. auctus enim calor in febre quartana, atq. natura validior facta cum eodem igne, humores multos, atq. frigidos cõsumit, quemadmodum in lucernula accidit, vbi

vbi multus ignis perflagrat,oleum citò consumitur,& flamma extinguitur.

Tertio loco exercitatione vtẽdum etiam docet idem Aristo.eadem nimirum ratione, nã exercitatio exiccat, & corpus robustum facit cum Hyp.2. de diæta, vt multum ergo frigidum humorem quartanæ febris causam tollamus,exercitijs vtendum est; sed tamen illa consideratione, quam Gal.docet in arte curatoria ad Glauconem,atq. diligens Septalius adducit, variãdam scilicet esse, & formam;& quantitatem exercitij ex natura ipsius quartanæ:nam interdum adeò longa est accessio,& adeò vehemens, vt omninò corpus delassatum relinquat,etiam intermedijs diebus,vt vix moueri possit:hos autem exercitijs mouendos non esse quartanarios ,sed fortioribus, vel leuissimis ambulationibus vti,in die,qua febris abest.

Quarto in die accessionis lauandum insuper, neque somno vtendum est. & quidem somno non vti in die accessionis optimum esse diximus etiam in theoria febrium. nam in somno sanguis intrò fugitcum Hypocrate, vndè coniuncto calore febrili cum calore retracto maior febris

fit

fit, & morbus augetur. sed lauandum in die accessionis, atq. instante febre vtique non videtur: nam balneum mouet humores, corpus totum quoque concitat; vnde instante febre administrandum non est, pluribus etenim motionibus simul, & semel natura supponi non debet. Sed ideo balneum adminstrandum cum Aristotele, respondetur, quoniam antiquis temporibus eorundem consuetudo & maxima erat, præcipuè verò ante prandium, vt Lucianus refert in lib. de Asino, atque nuperrimè Fuluius Vrsinus ad appendicem Petri Ciacconij de triclinio,

Deniq. concludit Aristoteles, sit igitur victus quotidiani ratio in quartanis febribus, quæ partim ignem, partim rorem indat in corpus: ignem inquam sumpta indicatione à causa frigida, & multa, rorem verò sumpta indicatione à febre, vt febris est, quæ cum sicca sit affectio humida expostulat. Victus enim humidus febricitantibus omnibus confert, præsertim verò pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt, sed partim rorem, inquit denique Aristoteles, quoniam nõ humidius absolutè victus idem

esse

esse debet, sed qui inter humidum, & siccum medium teneat, nam febrientibus frigidisquè humoribus scatentibus, humida absolutè non conferunt, sed calida, & parum humida alimenta propinari debent: sicuti enim siccitas est lima caloris, ita etaim humiditas est lima frigoris, eiusdemque actionibus fauet, propitiaturq.

PROBLEMA LIX.

M*Orborum alij ab igne, alij à rore curantur. Curat morbos ignis ros; roris ignis. Hic enim exiccat rorem.*

DISPVTATIO LXVI.

DIXERAT ſuperius Ariſtoteles, de febre quartana loquendo, victus, quotidiani rationem debere eſſe, quæ partim ignem,partim rorem indat in corpus: nimirum quæ calida ſit, necnon etiam moderatè huhumida. calida inquam victus ratio eſſe debet humori reſpiciẽdo febrem efficienti;humida verò ex febre vt febris ſicca etiam affectio eſt indicationem ſumendo: vndè Hipp.1.aph.16. victus humidus febricitantibus omnibus confert, aſſerebat, præſertim verò pueris,& alijs qui tali victu vti conſueuerunt. In ijſdem ergò veluti inſiſtendo adhuc Ariſtotel. generalius loquens, morborum, inquit, alij ab igne, alij rore curantur. Curat morbus ignis ros, roris ignis; hic enim exiccat rorem. Sanitas dictum fuit pluries in ſuperioribus, conſiſtit in commoderatione & ſimmetria eorum quæ corpus gubernant,prçcipuè autem corpora natura-

lia

lia gubernant ignis & ros, calor ſcilicet & humiditas, vita enim in calido & humido conſiſtit per Ariſtot. in lib. de vita & morte, cum humido nutriantur corpora eadem naturalia, calido verò viuant; viuunt tamen, vt indicabamus, in debita vel temperata menſura iiſdem exiſtentibus, è contrà verò corrumpuntur cum à ſymmetria recedunt; vndè Ariſt. in 1. problem. lib. 1. præſentis, cur exuperantiæ cõmittendi morbi vim habent quærebat; & an quià, reſpondebatur, morbi in exceſſu vel defectu conſiſtunt? in exceſſu vel defectu potiſſimum calidi & humidi cum Ariſt. in præſenti, morborum aſſerente alij ab igne, alijs verò à rore creantur. Cum verò ab humido & calido oriãtur morbi, quos facit calor curat humiditas, inquit etiam Ariſtot. quos verò facit humiditas curat calor. Aponenſis dubitat contrà Ariſtot. in hoc loco, qua ratione humidi morbi curẽtur ab igne, ſicuti ignei ab humido, cum ignis, ſiuè calor (nam id apud omnes nomine ignis hic intelligit Ariſtot.) humido nequaquam contrarietur, ſicuti humiditas neq. etiam calori?

Atq. plures idem Aponenſis ad hanc

difficultatem affert in Commentario respon nes. Primò inquit Arist. hic nomine humiditatis intelligit etiam frigiditatem, sicuti nomine caliditatis intelligit siccitatem, cum in corporibus animalium tales combinationes maximè contingant: vndè Auicenna prima primi, calor maior, afferebat, quam esse debet, reddit corpus siccius, sicuti maior humiditas reddit corpus frigidius. Vel morbos ignis sanat ros ex Aristot. respiciendo non causæ, sed effectui inquit etiam Aponensis, sicuti Hipp. superius victus humidus febricitantibus omnibus confert afferebat; nimirum quia febricitantes exiccantur ideò rore curandi sunt. Vel deniq; inter rorem, & ignem contrarietatem aliquam etiam adesse dicemus, nempè contrarietatem non propriam, sed communem cum Gal. 11. meth. cap. 12. quam oppositionem appellat Arist. nempè contrarietatem non directam, sed indirectam, & per accidens, qua interdum cum contrarietate morbi, & curantur, atque sanantur. Hic Laus Deo sit, Virginiq; Matri Mariæ.

IN-

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

A

B

Ca-

C

INDEX.

Em-

E

F

G

H

Ie-

INDEX.

I

L

Me-

Pau-

P.

Ple-

Quar-

Q

R

S

T

Tex-

V

Vi-

Vri-

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag.40. Iisdem leg.Iidem Pag. 45. Nec etiam leg. Nec non etiam p.58.Satyrius l.Satyricus p.76.Indurat l.Indurati p.77.Excitanturi l.Excitantur p.103.A Colore l.à Calore p.116.Quam autē l.Quod autem p.118.Tamquam corrumpere l.tamquam contrarij corrumpere p.127.De pediculus l.de pediculis p.128.pedicuculus l.pediculus p.141.Quod ab occasu l.qui ab occasu p. 145. futuræ sunt l.futuræ sunt p.153.pueri calidi & sicci l.pueri calidi & humidi p. 165. incerebro resident l.in corde resident p. 167.corporis parte l.corporis partes p.169. morbose experante l. morbose exuperante p. 176. Antonio Pio l.Antonino Pio p.187.Meaterice vero l. Neotericè vero p.187.sanctum Ardoinum l. Santum Ardoinum p. 188. ranarum copiam l.ranarum copia p.225.artiulorum l.articulorum p.230.decceeunt l.decedunt p.257. mutus medicus l. motus medius p. 262. fibis solidioribus l.fibris solidioribus p.265.vlneri l.vulneri p.268. negttur l.negatur p.276.aeris flatu l.aeris statu p.280. pthisanem l. pthisanam p.281.quid sit l.quidquid sit p.284. lixiccium l.lixiuium p.289.facere nequat l.facere nequeant p.294.vtrum etiam & inunctione? l.vtrum etiam & inunctio? p.295. philegmone l.phlegmone p.301.hepara l.hepar p.308.tamen & si l. tametsi p.311. addita furamina l.abdita furamina p.312.Idē motus l.idem vomitus p.321. tertia l.tertio p.327.corporis Arist.l.corporis sanat. Arist.p.249.Chirurghi l.Chirurgi 341.excretio l.exercitatio p.344.quod enim l.quę enim p.372. delicessima partio l.debilissima portio p. 374. disposita erat l.disposita erant p.381. an coacta sit l. an cocta sit p. 396. quu l.qui 417.ęgro bibet l.ęgro libet p. 426. paucos esse l. paucas esse p. 432.morbus iguis l.morbos ignis.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee.

Omnes ſunt quaterniones, præter ✠,
quæ eſt duernio,& Ee, quæ eſt
ſexternio.

R O M Æ,
Sumptibus Guilelmi Facciotti. 1630.

SVPRIORVM PERMISSV.